



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

V
168
—
17

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHien

V 168/17



168/17

ADMIRANDA
VITA, VIRTUS, GLORIA
S. LUDOVICI
BERTRANDI
VALENTINI
ORDINIS PRÆDICATORUM
INDIARUM OCCIDENTALium
APOSTOLI
S. VINCENTIO FERRERIO
Eiusdem Ordinis & Patriæ
VIRO APOSTOLICO

Et sanguinis cognatione, & pietatis officio
etque imitatione conjunctissimè

S. D. N. CLEMENTE X.
Solemni Canonizationis regis

Hoc Anno MDCLXXI. die XII. Aprilis
ab ortu suo CXLV. à felici transitu XXX.

SANCTORVM CATALOGO
in scriptis

Ex probatissimis Scriptoribus
Compendio enarrata

à F. A. R. Ord. Prædic. S. Th. M.

Cum facultate Reverendiss. Ordinarii
Laudante & approbante A.R. & Digniss. P. Provinciali
Augusta Vindel. Typis Simonis Uzschneider.

FACULTAS

Reverendiss. Domini Ordinarij.

Cum Vita admiranda Sancti Ludovi-
ci Bertrandi, è diversis Scriptoribus
collecta, non solum fidei Catholicæ, bo-
nisque moribus, adversum nihil conti-
neat; sed potius mirabilis hæc sanctitas,
Christi fideles ad imitationem, atque
Virtutes Christianas magnopere sit in-
flammatura, omnino in lucem prodeat.
Augustæ Anno Domini 1671. 16. Se-
ptembris.

Gasp. Episc. Adramyt.
Vic. Gen.

Pie ac Benevole Lector.

Dæter fragrantissimam Rosam, cuius miræ suaveolentiaz odor ab Occidentalibus Iudiis usque in Europam perque omnem latè Christianum Orbem, se à triennio diffudit & hodie dum perquam suavissimè redolet, piumque devotorum Fidelium recreat affectum, purissimi candoris suavissimique pariter odoris accipe LILIUM; sed verè inter Spinas atque tribulos afflictionum, laborum, persecutionum, quod fulgorem candoremque non modo spiritalem sed corporeo quoq; sensu perceptibilem, & cùm mortale adhuc esset, & cùm præsenti vita vivere desisset frequenter diffudit. Quia post annos plus sexaginta, à quo fatali scalpro præcism fuit, adhuc eum quem-dum vivere desinere colorem & odorem habebat, retinuit. Sexaginta siquidem annorum circulo, uti S. Rituum Congregationi authenticè constitit, virgineum S. Ludoyici nostri corpus quamvis in loco alluvionibus obnoxia, non exenteratum aromatibus & balsamo inconditum, cùm intestinus ipsis adeò ad corruptionem proclivibus humo traditum fuerit, integrum tamen articulatum & tractabile affervatum est. Atque ita repertum utique fuit anno 1647, quando sub Rev. P. M. Generali Thoma Turco Valentiaz celebrata sunt Comitia Generalia Ordinis. Nam in Actis dictorum Comitorum his verbis ejus Universo Ordini denuntiatur Translatio:

Dénuntiamus Corpus Beati Ludovici Bertrandi huic nostris celeberrimi Conventus Valentini filii ab humili loco & sepulchro in quo jacebat, ad Capellam pulchra architectura de novo erectam translatum fuisse die Sanctissimæ Trinitatis, cum solemnissima pompa maximo populorum summisq; de votationis letitia signis, præsentibus Excellentiss. hujus Regni Precege & Excellentiss. ac Reverendiss. Domino F. Isidoro Aliaga Archiepiscopo hujus Civitatis ex Ordine nostro assumpto & Magistra-

*gistratu Valentino, & Excellentiss. D. Duct de Medina de las
Torres cum tota ejusdem amplissimae Civitatis Nobilitate.*

Ne autem enarratorum laboret fides, fontem unde
deprompta sunt indicō. Scriptū primus Vitæ S. Ludovi-
ci ac miraculorum illius Historiam ejusdem Discipu-
lus P.M. F. Vincentius Justinianus Antistius an. 1582.
proximo nimirum ab obitu ejus, cui an. 1583. quædam
superaddidit. Verūni crebrescentibus ad illius inter-
cessionem miraculis, allatisq; quibusdā memoratu di-
gnis ex India, P. Præsent. F. Balthasar Roccā auctiorem
in lucem edidit 1608 quando à Paulo V. Ludovicus
Beatis annumeratus est. Cūm autē processus de vita &
miraculis illius formati eo tempore Romæ essent, non
paucā & ipsum meritò commemoranda effugerunt.
Quapropter instituto Canonizationis Beati Procurato-
te P.M. F. Bartholomæo Avignone ijs Romæ studiofis-
simè perlustratis & cum præfatorū Historica scriptio-
ne collatis, summa fide, notato capite, parte, folio, pagi-
na, vel Auctorum vel processus Hispаниcè denuò ab eo-
dem conscripta est, atque à D. Julio Cæsare Equite Bot-
tifango Italicè redditā, Romæ typis Alphonsi Ciacco-
ni edita. Atque ex hoc fidelissimo probatissimoque
scripto habes Benebole Lector quæ hic compendio ut-
sunque Latinè at minimè tersè narrantur, attemperato
tamen subinde calamo ad Vitam S. Ludovici Gallicā
editam à R.P.F. Joanne de Rechac, & in Latinū trans-
latam à R.P. Præsent. F. Hiacyntho Cunibert, jamque
etiam Coloniæ typis editam. Cui hæc enarratio mi-
nimè accessisset nisi Joannem de Rechac (qui Baltha-
sarem Roccā secutus Avignonem forte non viderit)
celebriora quædam effugiscent. Porrò cūm subinde a-
liorum vitæ sanctitate conspicuorū inter narrata inci-
dat mentio qui Ecclesiæ authoritate needum Beatorū
aut Sanctorum Syllabo annumerati sunt, non aliter,
quam juxta Constitutiones Urbani VIII. eorundem e-
logia accipienda sunt, meque accipere & accipi velle
protestor, cuncta Catholicæ Ecclesiæ subjiciens judicio.

VITA

VITA S. LUDOVICI BERTRANDI

Ordinis Prædicatorum

Compendio enarrata,

CAPUT I.

S. Ludovici patria, parentes, ortus.

Ræclaro hunc novi veterisque Orbis sideri S. Ludovico Bertrando, patria fuit insignis Hispaniæ Tarraconensis urbs Valentia, non minus hodie illius quam vel Vincentij inclyti Martyris olim agone, vel Vincentij Ferrerij Apostolici Prædicatoris aliorumque Sanctorum ortu illustrata. Patrem habuit Joannem Ludovicum Bertrandum, publicum urbis Valentianæ Notarium, ex ea ipsa familia quæ per celebrem quondam Jurisconsultum Petrum Bertrandum Arragonijs de legitimo in Regnum Successore disceptantibus cum aliis arbitram dedit. Fuit verò Joannes Ludovicus non solum forensis justitiæ, pro officiis sui munere, sed etiam pietatis ac religionis in Deum & Sanctos, pro officio viri Christiani,

A

stu-

VITA S. LUDOVICI

studiosissimus. Inter Sanctos singulari devotionis affectu venerabatur Brunonem Carthusianorum Patriarcham, & Vincentium Ferrerium, tum patris, tum etiam sanguinis cognatione sibi conjunctum, quorum presentem in periculis non semel expertus est opem. Cum enim adhuc adolescentulus facie nitrati pulveris flamma deformata, in vita periculum conjectus fuisset, implorata per consanguineam S. Vincentii ope, subito pristinæ restitutus sanitati, periculum evasit. Sed & multis post annis, cum jam matrimonii teneretur vinculo, lethali oppressus morbo, cunctis de vita ejus actum esse existimantibus, à SS. Brunone & Vincentio nondum vitæ suæ terminum adesse didicit, subitoque viribus recuperatis, divinis hebdomadæ sacræ Officiis, ut à Sanctis præmonitus fuerat, sanus, latus interfuit. Auxit hic Cœlitum favor, adeoque pium Religionis ac Deo studiosius famulandi desiderium in Bertrando aceedit, ut omnino decreverit, si quando matrimoniī jugo liber existeret, arctioris Religionis ac disciplinæ se jugo subdere. Quam ob rem vita functa quam primò duxerat uxore, sanctioris propositi tenax, in Monasterio Portaceli quatuor Valentia leucis absito, arctissimum Patrum Carthusianorum institutum amplecti in animum induxit, proindeque compositis rebus suis, ac cunctis quæ vel obstaculo, vel remoræ esse possent sancto huic proposito, è medio sub-

tablatis, illuc protinus corpore se conferret quod dudum ferebatur animo & spiritu haud diu distulit. Verum Deus cui nullum prompta sibi serviendi & obsequendi voluntate acceptius est sacrificium per eosdem quos apud ipsum Patronos elegerat Sanctos Brunonem & Vincentium, dum jam recta Carthusianorum asceterium peteret, in ipso itinere visibili specie conspicuos, eundem monuit, propositum ejus quamvis rectum, divinæ tamen non esse placitum voluntati ut exequatur, quin potius ob causam olim ipsi manifestandam conjugij statum denuo iniret. Acceptis his Superum monitis, disparentibus qui iusta dederant, nihil hæsitans Valentiam revertit, nec multo post tempore, secundo matrimonio sibi junxit honestissimam genere & moribus fœminam Joannam Angelam Exarch, rarae virtutis & modestiae, ceterarumque virtutum studio ipsi haud imparem. His tam pijs tamque Deo & Superis dilectis conjugibus ortus est S. Ludovicus noster, ipsis Calendis Januarii exordientis anni à nato Salvatore millesimi quingentesimi vigesimisexti, inter quatuor fratres totidemque sorores primogenitus. Cui proinde prima præcipuaque cœlitus parata fuere charismata, quibus non immixtò illud annumerant quod ex eodem Baptismali fonte parochialis Ecclesiæ S. Stephani regenerationis lavacrum acceperit, quo & S. ablugus fuit Vincentius Ferrerius, quem in om-

vita sua singulari prosecutus fuit amore & veneratione, saepius vicissim illius favore & operae recreatus. Nomen quidem in Baptismo paternum ei inditum ut Joannes Ludovicus appellaretur, solum tamen postmodum illi F. Ludovici nomen adhaesit.

CAPUT II.

Indoles S. Ludovici ejusque in prima aetate mores ac studia.

Mox in ipso limine vitae, ut plerumque solet, infantis Ludovici apparuit genius atque indoles. Natura enim tristior, severus atque morosus, pronus ad ejulatus & lacrymas, nulla alia re ab importunis fletibus cohiberi potuit, quam sacrarum imaginum adspectu. Delatus siquidem ad Ecclesiam quampiam, ubi Christi Salvatoris Sanctorumve vidisset imagines non solum a vagitu & planctu cessabat sed maximè laetus animoque gestiens apparebat. Superatis infantilibus annis, magna cura, prout aetati congruebat, in timore & amore Dei a patre institutis, ubi ludum litterarium adire coepit, tanta illum animi promptitudine frequentabat, tantoque profectu, ut facile quivis ingens ei virtutum desiderium, otiique ac desidiae quoddam innatum esse odium perspiceret. Aequalium, maximè discolorum, pueriles lusus, vagos per plateas discursus, aliisque ineptias jam tum fugere, domi in silentio

cio se continere, orationi vacare, litteris operam dare assuecebat. Vix attatis annum septimum egressus horarias Deiparæ Virginis preces, quotidie à devotis dici solitas, sine intermissione recitare cœpit. Rebus divinis adeo erat addictus ut nulla res ejus animum oblectaret, quam Missæ sacrificio, ac Vespertinis horarum precibus interesset, tempora obire, sacrasque ædes visitare. Raro puerorum more jentaculum sumebat, parcissimo quidem natura cibo contentus, at temperantia pœnitentiaque studio jam tum corpusculum macerare incipiens. Erga parentes summa erat observantia, eisque ad nutum ita in omnibus obtemperabat, ut nec in minimo eos unquam offenditerit, sicut fideli duorum, qui eodem tempore sub eodem tecto cum ipso habitârunt, postea civitatis Valentianæ Amanuenses facti, testimonio constitit: quin ut iidem testes deposuerunt, ubi matrem in famulas concitatem vidisset, prælecta quadam ex pio libello sententia eam mox placare satagebat. Ubi enim ad discretionis annos pervenit naturæ gratia que luce clarius ejus animam irradiante, mærosa illa innata mœstitia affectio plurimùm remisit, atque ad rectæ rationis reducta normam ita temperata fuit, ut & vultu lætior seniorque, in familiari alloquio affabilior, domi amabilior, foris circumspectior, in cunctis agendis prudentior atque discretior esse cœperit.

VITA S. LUDOVICI

Primum vitæ conscientiæque moderatorem nactus fuit insignem Dei famulum F. Ambrosium à Jesu per celebrem Concionatorem Ordinis Minimorum, à quo aptissima vitæ recte instituendæ documenta certamque spiritualis profectus formam accepit, quam adeo sibi familiarem reddidit adeoque fortiter impressit, ut annum agens decimumquintum omnibus absolutissimum virtutum exemplar &c. devotionis pietatisque speculum appareret. Maximum autem in anima ejus exarsit desiderium frequentius sumendi divinissimum Corporis Domini Sacramentum, neque eorū illius coelestis hujus epuli dulcedine satiari poterat: unde ut sepius ei ad illud accedere liceret facile à prudente Confessario obtinuit. At ne cui forte iam frequens illius ad facram communionem accessus offendiculo foret, nunc in hac, nunc in alia Ecclesia coelestis hujus se cibi participem faciebat. Augmentabatur itaque spiritu & gratia, sacratissimi hujus virtute alimenti, proficiebatque mirum in modum de virtute in virtutem, ut cunctis jam exemplo esset & admirationi.

Considerans autem humilem & absconditam in terris Salvatoris sui vitam, ita reconditis in ea mysteriis miraque humilitatis & abjectionis exemplis ejus imitandi desiderio accensus est, ut se neutiquam in vivis esse possa existimaret, nisi incognito & abjecte in hoc mun-

mundo vivendi modum adinvenisset. Quare proposito sibi SS. Alexij & Rochi notissimo exemplo, relictis domo, patria, parentibus, omnibus insciis, ne quis obstaculo foret, peregrini habitu Valentia discessit, soli Deo & Superis propositi sui successum commendans. At humano perculsus timore, veritus ne si forte in morbum incideret necessariis destitueretur subsidiis, pecuniae quiddam ab amicis eum in finem mutuò accepit. Non permittente autem conscientia ut absque data parentibus mutu ratione longius iret, litteris quæ usque modo filialis ejus observantiaz testes sunt parentes humillimè rogavit, tum ne inopinati sui discessus causa animis turbarentur, cum ita de illorū filio divina providentia plānè disposuisse videatur: tum ut mutuò acceptam pecuniam quibus debeat refundant, quo absque conscientiaz remorsu cōceptum iter prosequi possit: tū ut ipsi bene precentur, Dumq; orent, ut ad locū quem ipse sibi præparayerit perveniat. Verūm quantumvis tantopere ignotus latere cuperet ac peregrino se vestitu occultaret, non potuit tamen, non ex ipso tantarum virtutum splendore facilè deprehendi & agnosci etiam ab iis quibus facie ignotus erat. Unde repertus à quodam Bugnuolii civitate septem leuis Valentia absita, juxta fontem forte quiescens, paterno imperio ad patrios lares redire compulsius, maximo parentum & domesticoru gaudio receptus fuit.

8 VITA S. LUDOVICI

Animadvertisens autem prudens pater filium suum non aliis quam divinis addictum obsequiis, ecclesiasticorum more vestito, omnem devotioni sua vacandi, Deoque, juxta Spiritus Sancti instinctum, sub prudentis Confessarii directione serviendi facultatem concessit. Quia accepta, frequens adibat nosocomia pauperum, sedulioque inibi, velut si mercede ad id conductus esset, ministrabat infirmis, integras subinde noctes, ubi id necessitas exigeret, in eorum servitio ducens insomnes. Domi quoque, quam primum licet, vesperi privato suo cubiculo sese occludebat, ac flexis coram Crucifixi imagine genibus, orationi mentali (cujus methodum à supra nominato suo Confessario accepit) ferventissime insistens, potiorem noctis partem transfigebat, nec quietem in lecto, sed vel humi, vel nudo tabulato recubans capiebat. His in pauperes & infirmos charitatis officiis, ac in seipsum severioris disciplinae exercitiis mira accedebat in omnes manuertudo benignitas atque humanitas. Longè ab ejus ore erant verba mordacia, aspera, iracunda, injuriosa, longissime execrationes ac juramenta: quin siquid asseverando dicere voluisset, his aut finitibus utebatur verborum formulis: *Benedictum sit sanctissimum nomen IESV,* *Benedictus meus IESVS.* Maxima siquidem veneratione summoque devotionis sensu crebro suspirans proferre consueverat dulcissimum hoc nomen JESU.

Ca-

CAPUT III.

S. Ludovicus Ordini Prædicato-
rum adscribitur mirificèque gratia,
& virtutibus proficit.

Vita functo primo suo in vita spirituali Di-
rectore P. Ambrosio à Jesu (morte quidem
subitanea, at non improvisa utpote quam ipse-
met prædixerat) conscientiæ suæ arbitrum S.
Ludovicus elegit, ex cœnobio Valentino Ord.
Prædicatorum F. Laurentium Lopez de Ocag-
ña SS. Theologiæ Magistrum, virum doctrina,
prudentia, ac severioris disciplinæ cultu insi-
gnem, qui & Valentino Conventui Prior præ-
fici meruit. Hujus pia conversatione, ac san-
cta institutione, cum jam ante Fratum Præ-
dicatorum Institutum ob gloria merita S.
Vincentij Ferrerii concivis & cognati sui plu-
timum amaret ac veneraretur, tanto ejus am-
plectendi desiderio exarsit, ut quamvis corpo-
ris & ingenii viribus, quibus Religionis labo-
ribus sufferendis opus est, se non admodum
pollere nôset, ardentissimè tamen multis pre-
cibus in eorundem Fratum sacrum contuber-
nium admitti ac recipi flagitârit. Verùm cum
jam yoti compotem facere decrevisset P.M.F.
Jacobus Ferran Cœnobii Valentini eo tempo-
re Prior, tam validè intercessit S. Ludovici pa-
rens, ut is recissa fide filio data, parenti promi-
serit filium ejus, quamdiu Cœnobio præfit neu-

A s tiquam

tiquam ad Ordinem fore admittendū. Quo accepto, et si sancti adolescentis animus non modicūm turbatus, minimē tamen à sancto proposito perturbatus fuit, sed magis etiā pij desideri ardor inflammatus. Hinc quoties vel ad eadem Prædicatorum oculos convertisset, vel ad divina Oficia ære campano in ea signum dari audivisset, ingemiscens se à proposito retardari, lacrymas continere vix potuit, nec à frequentando Cœnobio desistens, si nemo adesset quo cum spirituale duceret colloquium, otij vitandi causa pomorum citriorum surculos ex opposito celaz S. Vincentii plantatos indefesso labore irrigabat (ut se à coævo quodam Patre accepisse testatus fuit Venerab. P. Dominicus Anadon, & ipse sanctitate conspicuus) cumque in hauiienda aqua non parum desudaret interrogatus cur id faceret, innata sibi simplicitate respondit : Ne arescant arbusta tam felicia ut hunc in hortum transplantari digna habita fuerint. Fuerit id præludium, ut multis postea visum est, ipsum salutaris aliquando doctrinæ aqua novellas in Religione plantas sedulò ac sancte eodem loci irrigaturum esse. Cognito itaque constanti ejus fervore ac desiderio Ven. P. F. Joannes Micon (cui eo tempore Fratrum Novitiorum cura incumbebat) quam primum post P. M. Ferran Cœnobij Valentini clavo admotus fuit, nihil moratus eas quas anxius patet difficultates objecerat, iniciis parentibus illum

illū in gremium Religionis Prædicatorum sanctique illius Conventus recipit, atque anno 1544. die 26. Augusti Ordinis habitu induit. Quod quanto Ludovicum gaudio, tanto parentes replevit dolore & mœrore, non solum ægrè ferentibus, quod ipsis inconsultis Religionis vestem indutus esset, sed multò maximè metuentibus ne vel ante emissum Religionis votum à Religione ejiceretur, vel eo emissō ad consueta Ordini Prædicatorum studia & exercitia deprehenderetur ineptus. Unde nullum non lapidem moverunt, ut vel omnino à Religiosæ vitæ propofiro resiliret, vel alterius Ordinis, suo, ut arbitrabantur, ingenio & naturæ convenientius Institutum eligeret. Quæ res & verbo & scripto diu multumque agitata est. Verùm omnia illa tam prudenter diluit sanctus Religlonis tiro, monens parentem, caveret ne in ipsum caderet illud Regij Psaltis: *timuerunt ubi non erat timor*, ut divino eum spiritu duci ac regi facile animadversum fuerit. Parentibus itaque & filii scripto & alloquio flexis, atque à B. M. P. Micone salutaribus monitis eo adducatis ut nequaquam ægrè ferrent filium suum id vitæ genus elegisse, imò summas deinceps Deo gratias agerent, quod tantis cum è cœlo favoribus prævenisset, expleto feliciter tirocini anno, summo totius Conventus Valentini consensu anno S. 1545. pridie festi S.P.N. Augustini die 27. Augusti, solenne Religionis

votum, latus animoque in Domino exultans, emisit in manus (ut dici solet) Patris F. Joannis Miconi, Valentini Prædicatorum Conventus Prioris. Quo consecuto, quod toties exoptaverat, Dei beneficio, adeo sanctioris vitæ studio indies proficere cœpit, ut omnes de eo ad Ordinem unanimiter suscepto sibi congratularentur: quo enim ætate & annis fiebat matu- rior, eo fervore spiritus ardenter, humilitatis cultu submissior cæterarumq; virtutū studio, in omnium oculis apparet ornator. Eam vero jam tum consecutus est gratiæ largitatem, ut orantis ac contemplantis mens in Deum ab- sorpta, sui nescia, subinde ignoraret an in ter- ris aut in cœlis consisteret: nec scipsum, aut qui id fieri posset adhuc capiens, à P. Miconi qua ratione id possibile sit interrogatit: imò ab orando cessans non poterat mens ejus aliis intendere quam quibus dulcissimè contemplan- do immerita fuerat. Non defuit tamen has inter spiritus delicias animi quædam amaritudo, & afflictio. Cum enim humanæ mentis vires angustiores esse cerneret, quam ut pluribus intendere possint, metuebat ne si scholasticis studiis occuparetur non posset liberè devotio- ni & cœlestium, quarum jam dulcedinem præ- libaverat, contemplationi vacare. Verum ubi paulò attentius rem perpendit, facile agnovit subdolam eam mali genii suggestionem esse, molientis ipsum in graves præcipitare errores, si ne-

si necessaria destitutus scientia & eruditione se contemplationi daret. Quare eorum sibi, propositis exemplis, qui non minus vita sanctitate quam doctrinæ laude præcelluerunt, nihil habuit qua Philosophicis qua Theologicis studiis operam dare, eaque de causa Patronum sibi singularem elegit Doctorem Angelicum S. Thomam Aquinatem, cuius tam doctrinam quam sanctitatem summè semper veneratus fuit; sed & cum viris doctrina præstantibus frequens ac libens erat, conferens cum iisdem ea quæ legerat. Eorum vero quibus præerat studia hortando & monendo ac quibusvis poterat modis promovebat: experientia etenim se compensisce ajebat quod qui studiis in Religionē invigilant, & Regulari disciplinæ ac devotioni orationique, præ aliis addicti sint. Sed de solito vita rigore nihil remittens, gravi corruptus infirmitate, salubrioris aëris captandi causa è consilio Medicorum ad Conventum S. Matthæi delatus, insignia ibidem reliquit sanctitatis vestigia,

Non solum enim incredibilis ejus in gravissimis doloribus illic enituit patientia, atque erga eos qui infimo vel solatio vel subficio erant, maxima animi gratitudo, sed & constans Deo studiosius serviendi ac sublimem perfectionis semitam tenendi propositum liquidò patuit, dum recuperata valetudine mox pristina austerioris vita exercitia animosè repeteret,

con-

contra quam non raro iis qui corpus aliquando durius habuerunt si in morbum incidentem evenire solerent, ut nimis viribus reparatis, amplius quam necesse sit sibi indulgeant, segniusque ad asperum virtutis calorem revertantur. Non aliam utique ob causam, quam quod non eo imbuti spiritu, eoque praediti affectu Christo pro nobis passo compatiendi, ea suscepserint, quo imbutus praeditusque sanctus ea aggrediebatur Ludovici.

CAPUT IV.

Suscepto Sacerdotio S. Ludovicus ex obitu patris ejusque post mortem diris pœnis graviter affligitur.

Cum itaque cunctis miræ sanctitatis in eodem indicia manifesta essent, neutquam quin Sacerdotio initiaretur differendum esse censuerunt Superiores. Quorum proinde voluntate Valentiam revocatus, anno ætatis suæ vigesimo secundo nondum expleto (nam Concilij Tridentini leges nondum obstabant) Christi 1547. mense Septembri, illud suscepit, ac primam Deo hostiam ad aram sacravit, mense proximo Octobri die vigesimatertia, ingenti non solum Patrum Conventus Valentini congratulatione, sed maximo quoque piorum suorum parentum solatio & gaudio, qui ut plurimum jam dolebant se tot ac tanta divinitate ejus.

VO-

vocationi posuisse obstacula, ita quoque summe lætabantur, ubi illum adeo Deo dilectum, tantisque charismatum donis ornatum animadvertebant, se tandem illi consensum præbuisse. Tam divini verò gradu ministerii admotus, per amplius ad perfectioris se vitæ formam obligatum sentiens, omne tempus ad pœnitentiaæ sancta exercitia, quo carnem edomaret spiritumque in Deum sublevaret, nimis ei angustum videbatur: Angelicam siquidem pro sacri hujus muneric dignitate puritatem cordis & corporis desiderans, quam diligentissimè discussis conscientiaæ latebris operam dabant ne vel minimum in ea quod divina Majestatis oculis displiceret, latere posset, nec nisi maxima prævia animi præparatione altare adibat, quo majore aviditate cœlestem ex eo percipiens cibum in servitio & amore DEI amplius confirmaretur, tantaque devotione sacris operabatur ut multò quoque maximam excitaret in iis qui sacra ipso faciente præsentes aderant. Arctam porrò ubi sacerdotio insignitus fuit familiaritatem iniit cum quibusdam virtutum studiosissimis vitæque admodum religiosæ Patribus, agens frequenter cum iisdem de his quæ animæ suæ salutem virtutumq; spestant profectum, atque ex sancto eorum consortio velut apis argumentosa ex floribus, rotam cœlestem colligens. Præ cæteris V. Pater Jo. Micon eximias illius virtutum dotes intu-

ens

eads, tantopere ejus gaudebat sancto consortio ut cum anno 1548. novi Conventus S. Crucis de Lombay ab Illustriss. Duce Gaudiæ S. Francisco Borgia (quo cum Sanctorum nunc albo adscriptus est) erecti, Prior institutus fuisse Ludovicum comitem habere voluerit, ut ejus opera & exemplo Regularis disciplinæ solida in eo loco fundamenta jacerentur: imò ipsa exordia sanctificarentur. Libens volens cum spirituali suo patre ad novam hanc virtutum palestram accessit, strenuus athleta Ludovicus, at non diu eis unâ commorari datum fuit. Paucis enim diebus post clapsum mensem à quo Ludovicus illuc advenerat, ipsa Omnitum Sanctorum venerationi dicata die, orationi intentus videt patrem suum carnalem de vita periclitantem ac morti proximum, cumque manè quid factu opus relata visione, Confessarium consuluisse, en tibi eadem die adest ejus causa Valentia missus nuntius cum mandaatis, ut si dilecto parenti in vivis aedesce velit, quod is summe desideret, quanto cyus Valentiam revertatur. Nec mora annuente Superiore ad moribundum patrem se confert, atque ut absens spiritu viderat, sic & coram oculis magno cordis dolore extremè decumbentem conspicit. Cujus praesentia nonnihil recreatus pius genitor, hoc unum ab eo petiit, ut in precibus & sacrificiis post suum hinc discessum, ejus memor esset. Quod se præstiturum promittens filius facis

cris quibus potuit monitis infirmum confortans, ac ferventissimis precibus pro felici ejus ex hoc seculo transitu Deum supplicans, nihil quod vel filialis observantia vel Christiana pietas ab eo exigeret intermisit, quoisque (quod paucis post diebus accidit) beatæ æternitati destinatam Creatori redderet animam. Sed ô severa Dei etiā misericordis judicialis tantæ integratæ, Deo Superisque adeo carus dirissimas annis aliquot Purgatorij ignis poenæ subiecte debuit, licet non modò tam sancti tamque Deo dilecti filij, sed & multorum aliorum devotissimè Deo famulantiū virorum cumulatissimis juvaretur suffragiis. Fuere hæ diuturnæ poenæ parentis & ipsi filio gravissimæ, ipsæque velut lustrales flammæ viventi. Quô enim misericordia patienti amplius compateretur ampliusque afflictio subvenire laboraret, divinæ disponente providentiæ factum, ut diu noctuque annis quibus eæ poenæ durarunt, mentis ejus oculis dirum cruciatæ parentis species obijceretur. Continuaruntque tristissima ea spectacula annis propemodum octo, quibus Ludovicus vultu animoque semper morens, nihil non egit, quô tam sevis tormentis dilecti patris animam eximeret. Frequentissimis liquide in carnem macerabat ieiuniis, non raro sôlo pane & aqua vicitans, singulis noctibus ad sanguinis usq; effusionem corpus flagellis cedebat, fets ventissimas ad Deum instanter fundebat preces ac maxima qua pos-

tuit devotione sacrosanctum Missæ sacrificium, quoties licuisset, pro paternæ animæ refrigerio offerebat. Fratrum quoque Religiosorum & sacrificia & preces in suffragium pro ea emendicabat. Quibus placata tandem divina justitia, volens utrumque consolari misericors Dominus illum à pœnis eximendo, hunc de consecuta ab illo beatitudine certiorē reddendo, in eunte ab obitu ejus anno octavo ; anima patris in amoenissimo quodam horto, incredibili perfusa gaudio, imensas pro suffragiis gratias agens se Ludovico conspicuam exhibuit, uti is ex infirmitate decumbens, anno antequam è vita decederet, germano suo natu minori & alteri cuidam filio spirituali non sine lacrymis commoravit.

CAPUT V.

S. Ludovicus sedulò miroque vi- tæ exemplo tirones Religionis in- struit & exercet.

Dum tam tristi nemine fere conscio, S. Ludovicus afflictionum jactaretur turbine, Patres Valentini Conventus rara ejus virtutum advertentes specimina, illi, cui olim pometum irrigando præluserat, ludo admovendum censuerunt, etsi quintum ætatis lustrum nondum explèset, & ipse adhuc annis in Religione tiro videretur. Eorum itaque imperio anno 1551. à suscepto Sacerdotio quarto, tironum in Religione

ligione illi cura imposta fuit. Qua humiliter suscepta, ut omnes optimi Magistri partes adimpleret, admodum conveniens esse duxit si opere potius quam verbis allobararet, ut teneræ quas excolebat plantæ omnium virtutum germine ornatæ firmas agerent radices. Erat proinde in Dei servitio ferventissimus omniumque semper in odore primus, in oratione assiduus, in moribus summe compōitus, miræ humilitatis ac modestiæ, ratiæ abstinentiæ, promptissimæ vel in minimis obedientiæ, sacrarum Constitutiōnum diligentissimus observator, sine ulla vel levitate earum violatione aut negligētū.

Atque his quidem mediis mirificos operabatur fructus, sed multo maiores divini servoris quo intus æstuabat zelus: inde enim promicabat fulgida quadam lux, quæ sanctorum vestigia preinenti viam prælucebat, inde vim & robur sumebant ignitæ & omni gladio anticipati acutiores, filiorum suorum intima penetrantes, quæ publicæ quæ privatæ exhortationes, quibus tecum tironum cohucernum inflamabat, tempore languoremque animorum penitus eliminabat, omnesque ad currendum alacriter viam mandatorum Dei, atque Religiosæ vitæ semitas coelesti quadam via trahebat, impellet, urgebat:

Ne vero quandoque ejus palestram egredi novas vitæ Religiosæ experientur aut quererentur difficultates, rigide eos in omnibus, quæ

molesta aut dura accidere possent exercebat. Masculam enim in Magistro directionis normam, in Discipulis vero spontaneam & plenam omnium rerum creatarum abdicationem, resolutamque ad omnia quae Regularis vita disciplina exigit, promptitudinem requirebat. Defectus quosvis etiam minimos severè castigabat, tantoque rigore, suo in Capitulo, ut vocant, delinquentium errores corrigebat, ut diebus quibuslibet Veneris, quando post medium noctis id celebrare solebat, velut extremi judicij dies illis imminere yideretur. Contigit ut duo contenderent de sensu cuiusdam consilij traditi à S. Vincentio in Tract. de vita spirit. quibus severissime coram toto tironum cœtu reprehensis comminatus est, quod siquid denudò hujusmodi culpæ admisissent, religiosa veste exiendi atque ab Ordine expellendi forent. Verum licet in corrigerendis defectibus tantum servaret rigorem, omnes tamen ac singulos suæ curæ creditos velut materno pietatis fovebat affectu, seduloque providebat ne quid vel corporis valetudini conservandæ, vel animo interdum refocillando necessarium, ulli sive sano sive infirmo deesset. Non ignarus enim quod arcus semper intentus facile rumpitur, honestas subinde Discipulis suis animi relaxations indulgebat, quibus & ipsem aderat, mente tamen semper in Deum absorptus, adeoque ab omni oblectatione terrena alienus, ut frequenter,

ter, sub ipsis Fratrum gaudiis resolutus in lacrymas ab eorum confortio se subducere, & sedere coactus fuerit. Cujus causam rogatus altum suspirans his verbis Fr. Thomæ Arenæ indicavit: Nos hic manducamus, bibimus, confabulamur animisque relaxandis vacamus, & ego miser ignoro quæ me fors maneat, an æternis ob peccata mea adjudicandus sim pénis an Dei miseratione salvandus. Et tu fili vis ut non lugeam? Quo dicto ingemiscens, suum denuo repetebat planctum.

Humilitatis præterea tam cordis quam corporis, perfectissimam seipsum Discipulis normam & regulam exhibebat. Sed & plurimum fatigebat ut devotius quâ vocali quâ mentali orationi jugiter operam darent; docendo eos quanto cum affectu sacratissimæ Passionis Christi mysteria nobis recolenda & contemplanda sint. Denique id præcipue agebat ut Discipuli sui Dei semper amore succensi apparent & essent. Qua in re multa pollebat dexteritate, sive enim in horto, dum animum relaxarent, ad eos accessisset, sive alicubi obvios habuisset pari fervore ac benignitate dicere solitus: Diligite Fratres, diligite Dñum Deum, idq; tanto cum affectu, ut mox ad suas se cellas recipierent, toti energia verborum ejus in amore Dei inflammati.

Quamvis autem studiorum causa cù curâ liberari & Salmanticam mitti obtinuerit, intelli-

gens tamen à viro religiosissimo, propositum suum divinæ de se dispositioni haud consonum esse, mox ex itinere Valentia rediens Superiorum voluntate id ipsum onus humiliter denuo subiit. Tot verò tantosque Religionis disciplina sanctè imbuit Discipulos, ut B. M. P. Nicolaus Factor Ordinis S. Francisci de Observantia (cujus alibi amplior fiet mentio) ipsum cum B. Jordano, proximo à S. P. N. Dominico Ordinis Prædicatorum Magistro Generali, qui ultra millesimos ad Religionem suscepit, conferre non dubitarit. Quod mirum haud sanè cuiquam videbitur, cum non solum dicto factoq; Discipulis faciem ad perfectionis vitæ culmen preferret, sed divina irradiatione & intimos eorum sensus penetraret, & venturos illis eventus prospiceret. Quidam Religionis voto nondum obstrictus se jam perfectionis apicem tenere existimans, miras ac cœlestes ut ipse credebat animi sui illustrationes ei referebat. Ad quem prudens Magister: Habeto tuas tibi visiones, non eę mentis è cœlo illustrationes sunt, sed vanæ à cacodæmone illusiones, brevi Religionis deposita teste ad pristinæ vitæ lubricitatē revertaris. Uti prædictum ita & evenit. Optimè enim noverat vir sanctus cœlum non nisi purissimas ac perfectissimè purgatas mentes raris huiusmodi favoribus dignari. Erant inter alios duo qui admodū scrupulosè divini Officij preces persolverent, quos videns sanctus vir suis non

B E R T R A N D I O R D . P R A E D .

non acquiescere consilijs, alteri cuidam Fratris, advertis, ait, quam anxiae hi duo filii mei conscientiae sint? at novaris & hunc & illum Religiosis vestem abjecturum. Quod similiter paulo quoque post evenit,

Vocavit quandoque quatuor ex Discipulis eiusque seorsim dixit: Filioli mei ad mortem velim paratos vos esse, unus siquidem vestrum hoc adhuc anno e vita migrabit. Nec sefellit præsagium: trimestri nondum elapsa, unus eorum pie vivis excessit, nec reliqui diu superstites fuero.

Fr. Joannes Lescanus inter tirones constitutus, cum de nocte id animo volveret; quod illicessente die seculares vestes suas repetere velle, Magister prima luce illum adiens, Ah (ait) Frater dormis? anne abiabis? ipso vero, tentatione dissimulata, respondente: Quo irem Pater? subjungente Magistro; Quo tibi placet, sicut facient alij, ab infestis temptationibus protinus liber fuit. At cum paucis post diebus alij duo sacrum Ordinis habitum deponerent, primum percepit quid sibi Magistri verba voluerint.

Longum foret recensere singula quæ vel pietatis documenta vel sanctitatis, quâ exempla qua argumenta, de se præbuerit, egregi⁹ hic Religiosorum tironum instructor; unicum tamen adhuc hoc loco minimè prætereundum, ex quo patet ipsum non minus patienter inconditos studiorum mores & defectus supportasse, quam

aliorum excessus & delicta severè castigasse. Venerat Valentiam citra Superiorum dispositio-
nem Frater quidam natione Indus, qui quod in-
conditis esset moribus barbaræque indolis, toti
Fratrum cœtui adeo gravis fuit, ut unanimes
cum à suo consortio excludi rogarent. At Fra-
trum petitioni modestè intercessit, mansuetissi-
mus Magister: nam ad pedes P. Provincialis
procidens, sibi potius quamvis pœnam infligi
postulavit, quam misero illi Fratri, qui non aliis
quam patriæ moribus imbutus sit, ac disciplinæ
vix capax. Atque ita sancti viri patientia & hu-
militas illæveniam impetravit; Deus vero illo
ut instrumento usus est, quo sancto Ludovico
desiderium ingereret, ut patro solo ac caris
omnib' valere jussis, remotissimos ab orbe no-
stro Indos petere, eorumque se saluti impende-
re decreverit.

CAPUT VI.

Caris & amicis S. Ludovicus de-
stituitur præficiturque Vicariatu S. An-
næ de Albeyda, ubi varia ejus reluent
sanctitatis indicia.

PErpendens sanctus vir illud Regij Psalmis
cum sancto sanctus eris, simul ac Sacerdotio
initiatus fuit, cum viris sanctissimis moribus
præditis familiaritatem iniit, ut supra memora-
tum. Præcipui fuere B. M. P. M. F. Joannes
Micon, P. F. Michael à S. Dominico P. M. F.
Lauren-

Laurentius Lopez, P. F. Raphaël Castelli, viri omnium virtutum decore perfulgidi, at non diu sancto eorum consortio B. Ludovico gandere concessum fuit, aliis è vita, aliis alio abstractis.

B. M. P. Micon 1555. pridie Calendas Septembris magno Valentini Conventus dolore ex hac vita migravit, tantis apud Dëum meritis ut plurimis vivens claruisse feratur miraculis. Hic constitutus in extremis, lugentes Patris obitum filios intuens, eos his verbis à lacrymis temperare jussit: Consolamini Fratres mei, ego quidem hinc discedo, meque in divinæ miserationis sinum recipio, at vobis in Conventu virum sapientiae eximum relinqu. Quod de B. Ludovico cum intellexisse nemo ambigere potuit. Utpote qui miro inter cæteros pietatis ac religionis zelo & luceret & arderet. Anno proximo sequente charissima quoque B. Ludovici mater morte sublata est, ipso in extremis ejus præsente. Sæviente autem Valentia annis subsequentibus pestis contagione, ne universus Fratum cœrus præsenti exponeretur periculo, aliis alio Superiorum voluntate translatis, S. Ludovico locus obtigit ipsi exoptatissimus & commodissimus, Vicarius S. Anna non procul Albeyda, ubi insignem aliquando domum religiosam extruendam in qua Fratres Prædicatores sanctè ac fervide Deo famulaturi essent, in publica ad illius civitatis incolas habita concio ac prædixerat vir Apostolicus S. Vincentius Ferre-

Ferretius. Cuius vaticinij fides et si undeviginti ante annos confirmari coepit fuisse, attamen tunc plenū omnino robur obtinuit, quando S. Ludovicum praesidem accepit: nam tanto illius virtutum & prodigiorum splendore illustravit, ut non immēritō S. Vincentius futuram post hīna ferme secula cognati sui sanctitatem cū istā vaticinaretur jam tum spiritu prævidisse credatur. Per opportunus is locus erat consuetis Ludovicī exercitiis, eō quod à frequentia hominum sejunctus ac velut solitarius esset, ubi quoties vellet orationi ac contemplationi tranquillè vacare posset, solebatque subinde maximo devotionis affectu imminentem cœnobio collegi nudis plantis concendere, quō Christū Dominum in monte Oliveti orantem animo recoleret. Rediens inde obvium quandoque habuit sacerdotem secularēm sanctitate pariter conspicuum (M. Jordanum, vocant) quo ipsam salutante ac de valetudine, ut fieri solet, interrogante: Ah Domine mi (respondit) si recte pensaremus quid sit hominē fieri filium Dei! & hoc dicto erectis sursum lumenibus facie mirè splendida & corruscante subiçuit. Ex quo pio sacerdoti facile innotuit quam fixè mente Divinis inhæreret Ludovicus. Tantus verò eius erat in oratione fervor ut non raro per omnia corporis membra æstuantis animi vis se diffundere. Unde Patri Joanni Alarçon (qui ei socius erat) defrigoris asperitate quandoque querenti.

¶. Si friges (ait) ad orandum te componito,
& rigorem frigoris, non lenties. An id (ad-
mirabundus quærebat) nunquam expertus es ?
Eadem divini ardoris vis eius inerat dictis ac
monitis, sive publicis sive privatis. Fr. Joannes
Perez Conversus conscientia suæ labes expiatu-
rus, cernens alium ad eius pedes procumben-
tem, atque amarè flentem audiens, cum adver-
tisset esse P. F. Alphonsum Godoij, peracta
exomologesi continere se non potuit quin eum
dem interrogaret cur sic ingemisset ac flevis-
set. Cui ille, O Frater ignitus carbo accendit
carbonem. Facile Fr. Conversus verborum
mysterium percepit, utpote qui experientia ip-
semet noverat quam igniti essent hujus sancti
viri sermones.

Sanctissimum Missæ sacrificium peragentis
facies non rarò instar crystalli resulgere vixi,
cumque sumendam hostiam manu tenens fe-
venti spiritu adoraret, ejus caput ubâ cum ho-
stia vel candida nubecula, vel radiante lucis
cirkulo circumcingi à diversis conspectum fuit.
Quos inter fuit Valentinae urbis vir primatus
D. Hieronymus Abeglia, qui & hoc affirmavit
Ludovicum nunquam nisi de Deo aut interio-
ris hominis compositione secum locutum fuis-
se & si quando consilij capiendi vel conscientie
levandæ causa eum convenisset, prius quam ver-
bis quæ vellet exposuisset, sanctum virum vedi-
ti si cuncta animi sui secreta penitus intelligeret,

set, abundè sibi satis fecisse. Idem radiantis lucis splendor, cùm cellula sua abditus orationi incumberet, à P. Joanne Alarcon non semel observatus fuit. Sed & cùm publicè pro concione diceret, ut illic primum cœpit, non rarò eius vultus miro quodam fulgore resplendere visus est. Mirum vero in modum divinæ affluentia gratiæ eius conciones promovebant in populo, ubertima eas consequente fruge animarum. Hinc frequentes undique è vicinis locis ad eum confluabant : nec ullus fere de animi sui salute, aut conscientiæ negotiis cum eo tractabat quin divinæ Charitatis vel accederetur, vel amplius inflammaretur igne. Unde jam tum eius sanctitatis fama procul diffundebatur, quâ motus senex quidam anachoreta, altæ rupis, nové Albeyda milliaribus dissitæ, specum incolens, cui gara pietas ac modestia magnam sanctitatis opinionem conciliârunt, et si viribus fractus, nudus tamen pedes Albeydam accessit, quô spiritualem aliquem ex sancti viri affatu perciperet fructum. Adiens idcirco cœnobium S. Annae simul ac Ludovici in conspectum venit, humi procumbens quanta poterat voce exclamare cœpit : Tu es Angelus DEI Pater Ludovice, tu es Angelus DEI. O quantam tibi gloriam ! ô qualem tibi Deus præparavit thronum ! Accepit has voces Ludovicus invitus, attamen bonum senem, quibus potuit charitatis officijs excoluit, ac tridui spatio quotidie prævia exomo-

moluges, sacra synaxi refectum, optimè consolatum dimisit.

Non solum autem Albeydæ sed & vicinorum locorum incolas ignitis suis sermonibus, ad Dei timorem pariter & amorem incendebat, nunquam quocumque te contulisset sine animarum lucro domum rediens. Accidit ut habità alibi concione Albeydam revertens à longè opilionem gregis curam agentem conspexerit, quo viro mox in genua provolutus sublatis in cælum oculis, aliquanto tempore Dñm supplex precatus, hominem adiut monuitque ut quamprimum Dño per Sacramentum Pœnitentiæ, quod à triennio neglexerat, reconciliari vellet: vicinam etenim illi immittere mortem. Obtemperavit salutaria monenti opilio, postera die sacra exomologesi conscientiam emundavit, ac triduo post vita Christianæ functus est. Eodem lumine D. Hieronymo Abegliaç ejusque conjugi Belgidæ ea tempestate commorantibus matrimonij inter eos vinculum dissolutum iri prædictis, defunctæque conjugis animæ, et si quarum in vita curam egisset sincerissimæ, quinque dierum spatio Purgatorijs pœnas sustinendas esse.

Morabarur eodem tempore Belgidæ prædicti Domini Hieronymi soror, quæ cum ex partus difficultate vitæ periculum incurrisset S. Ludovici meritis ac precibus servata fuit. Pari quoque in periculo ejus apud Dñm merita dum

dum Conventui S. Annæ præslet saluti fuere
Dominæ Blançæ conjugi Illustri Comitis de
Albeyda, appenso illius collo Rosarij sui pre-
carijs globulis.

Habitabat sub idem tempus Albeydæ hono-
sta matrona cui innocens & carus admodum e-
rat Alius, quem in barathri secum voragine
præcipitem agere hac arte molitus est Stygius
veneratur. Divitis peregrini indutus larvam,
matrem adolescentuli roget ut sibi ad Divum
Jacobum in Galiciam religionis causa iter fa-
cturo filium suum comitem adjutigat, quem
amplis deitide excolete velit muneribus. Ve-
rū illa ex B. Ludovico quærente quid ea in
re agendum suadeat, dæmonis insidias ut ca-
veret monetur, redeuntemque in Tartarum
abire juberet. Quod muliere audacter facien-
te, ira ringens Orci monstrum: Maledictus,
inquit, Ludovicus, qui id tibi cōsiliī suggeriſſit,
major ipſe me dæmon est; ut tamen quæ mi-
hi ſint vires intelligas, viden' ruficum illum
afino incidentem? ſimul ac ad portam illam
perveniet in terram mortuus cōfuet. Quo
dicto peregrini larva ex oculis evanuit, rufi-
cus verò ubi designata portæ appropinquavit
inanimis ex jumento ſuo concidit. Simile ferè
aliud Valentiae accidit,

Interea verò dum Vicariatum S. Annæ B.
Ludovicus administrat duo ſupra viginti Viti
Religioſi è Conventu Valentino Ord. Prædi-
cato.

catorum peste sublati sunt, inter quos Ludovicus eo intima familiaritate conjunctus fuit V. P. F. Michaël à S. Dominico optimè meritus Cœnobiarcha, vir religiosissimus, qui peste laborantibus mira charitate se impendens, eodem contagio malo infectus feliciter in Domino obiit. Nam oranti B. Ludovico miro gloria decore fulgens apparuit ejusque frontem suavitet deosculatus, eo ipso quo deceperit momento animam suam ad cœlestia transferri gaudia indicavit. Iisdem defunctis acceptus erit P. F. Clemens Benetus, cuius anima cuidam eximia sanctitatis viro è piacularibus flammis instar lucidissimæ stellæ in cœlum evolare visa est. Aliorum quoque gloriam defunctorum Fratrum B. Ludovico cœlitas monstrabant fuisse ex eo inserviat, quod consolaturus quendam ob tot tamque insignium Patrum ac Fratrum jacturam nimium afflictum dixit, Ne te adeo eorum affligat transitus, si quidem magnifica eorum gloria Religioso cuidam divinitus revelata est.

CAPUT VII.

Indorum saluti cooperaturus S.

Ludovicus in Americam seu Occidentales Indias proficiscitur.

Cessante Dei benignitate contagii male Superiorum iussu S. Ludovicus Albeyda

Va-

Valentiam reversus pristino tironum instruendorum muneri, jam tertium admovetur, tam strenue quam sedulò id exequens. Neque tamen idcirco ab habendis ad populum concionibus, uti maximo animarum fructu Albeydæ cœperat, interea vacavit. Missus enim ad pagum Alcoij integrum Quadragesimam verbo & opere prædicans, divina adspirante gratia uberrimos inde animarum fructus retulit. Longè verò latèque se diffundente ejus fama sanctitatis ad vicina quoque loca frequenter evocabatur, præsertim Concentaynam ab Illustriß. Domina Beatrice Comite de Mendoza eximia pietatis ac devotionis Matrona, ut vel ejus conscientiæ arbitrum ageret, vel salutaria & oportuna vitæ sanctius instituendæ consilia ac documenta ei traderet. Jam cum siquidem ijs quibus conçiones habebat locis, in tanta apud omnes veneratione tantaque sanctitatis opinione erat, ut carpensis sacrarum reliquiarum loco vestium ejus particulis devota plebs non abstinuerit. Quin & ipse P. Alarcon qui cum ipso in cœnobio S. Annae commoratus, sedulò ejus vitam & studia observavit recenti adhuc sanguine madens linteum, quo saucios post flagella sibi inficta humeros abstinerat, in cella ipsius, neglecto forte ostio, reperiens, sacrarum reliquiarum loco habuit, atque ultra viginti annos asservatum, aliis distribuit.

Eo

Eo ipso verno tempore quo S. Ludovicus ex messe sua de Alcoij Valentiam redierat, Mauri piratae binis harpijs multa præda gravidis propius urbem anchoras fixerunt, velut accepto lytro quos detinebant captivos relaxare constituerent. Interim dum paciscuntur Maurorum ductor quadam die in urbem admis-sus, ubi perlustratis omnibus ad portum navi-umque stationem redit, propulsatis ijs qui se-curitatis causâ eum dederant satellitibus, suorum manu stipatus in obvios quosque lxe-vit, quidquid potest rapit, abducit atque in prædatrices quæ in precinctu erant naves se recipit. Indoluit vir sanctus tam nefarium au-diens facinus, justaque commotus ira: Ergo-ne (inquit ad adstantes fortè Discipulos) bar-bari illi tantum scelus impunè ferent? & nos tantā Christiano nomini ab inimicis Christi il-laram sine causa sustinebimus injuriam? ne-quaquam Fratres charissimi id patiamur, sed in genua prooluti vindicem contra eos è cœlo invocemus Deum. Dictum factum. Nec in-cassum eorum abiere preces. Secundo ali-quamdiu afflante vento jam altum secure te-nebant piratarum naves ubi subito ingens in eas irruit tempestas; qua hinc inde jactatae ambæ naves, eodem quo diu iniquas prædas egerant loco, fluctibus haustræ, & in profun-dum maris cum impia piratarum colluvie ab-sorptæ fuerunt. Qua de re eadem die divini-

tus certior factus Ludovicus, monuit quidem tirones ut Deo pro exauditis adeo prompte eorum precibus gratias agerent, ipse tamen non minus ex hac impiorum subita poena, quam ex irrogata prius Christiano nomini injuria tristitia percepit.

Continuò porrò Indorum recolente miseriā eorumque salutem sitiente viro sancto, opportunè accidit ut duo ex Ordine Prædicatorum viri Religiosi easdem in oras abnavigaturi Valentiam appellerent, ampla cum facultate à Rever. P. Magistro Generali nonnullos Religiosos qui sponte se eis adjungere voluissent ad Novum Regnum Granatense transferendi. Quam divinitus sibi oblatam existimans exequendi propositi occasionem, firmiter statuit unà cum ijsdem pergere, quō divino se monitu vocari sentiebat. Nec ab hoc proposito, quidquid vel amici, vel familiares, vel consanguinei diversum suaderent, se dimoveri paflus, omnibus vale facto anno 1562. tertia die post suscepitos Christiano more cineres, Valentia Setabim, indeque nequicquam Fratribus iplum ex itinere reducere laborantibus Hispalim, ubi naves in Indias soluturæ hærebant se contulit. Illic exceptit eum navis qua & alij ex Ordine Prædicatorum ad Occidentales Indias destinati vehebantur Religiosi. Facilè autem navarcho epibatis aliisque quotquot eadem continebantur navi erat adverteſe, quam pretiosum secum

secum trans pontum veherent thesaurum, m̄rus siquidem ex ejus vultu, verbis, gestibus, moribus virtutum decor & quidam eximia sanctitatis resfulgebat splendor. Unde tanta apud omnes in veneratione fuit, ut cuncti s̄ ejus consortio felices arbitrarentur. Quam eximiam de sancto viro existimationem, confirmavit insolens factum, imò evidens miraculum. Quidam ex comitibus Religiosus Ordinis Prædicatorum dum incautius per navis armamentarium obambulat, graviter adeo delapso in verticem ejus pondere quodam afflatus fuit, ut velut jam jamque animam actuus conciderit. Accurrente autem chyrurgo & comam quo vulnus exploraret præscindere moliente, prohibuit id Ludovicus rogans ut aqua quam ei præbebat, vulnus tantum abluat hinc quoque caput cingat, Deo propitio nihil ex vulnere periculi fore. Paret ille motus concepta de viti sancti opinione, & ecce eadem nocte, vulnus ita coaluit, ut mane detracta fascia, qua chyrurgus vulnus obligaverat, ne cicatricis quidem ullum vestigium apparuerit. Feliciter demum emenso longissimo maris tractu, navis quam B. Ludovicus consenderat, appulit Carthaginem non incelebre Indianorum emporium (æquo penè intervallo à Tropicō Cancri, & circulo Æquatoris distans, nisi quod huic uno gradu & medio proximiō sit) ubi Ordinis Prædicatorum S. Josepho Salvatore

toris nostri nutritio facer extat Conventus, ad quem DEI servus Ludovicus deputatus fuit. Atque inde animarum intentus lucro, opus ad quod venerat magno cum fervore auspicatus fuit, adeoque strenue in vinea Domini desudavit ut (quemadmodum ipsi qui laborum ejus socii fuerunt testati sunt,) nemo ubiores ijs in locis fructus fecerit.

CAPUT VIII.

Ingentes S. Ludovici apud Indos
labores variaque pericula.

Quantos apud Indos subiturus esset labores S. Ludovicus quantisque objiciendus periculis, Deus servum suum latere noluit, sed cum jam certò statuisset Indias petere, per exiguae sanctitatis virum ei denunciavit. Qui festo Præcursori Salvatoris nostri sacro his eū in peristerio cœnobii Valentini fertur allocutus: Maximi, crede mihi Ludovice (ut Dœo revelante didici) in Indiis ad quas proficiisci constituisti te manent labores, & ingentia incommoda atque pericula, sed constans esto, ex omnibus eripiet te Dominus, atque in omnibus te protegens, sua præpotente virtute tibi aderit.

Quem vera locutum fuisse eventus comprobavit. Nihil siquidem inter immensos quos apud Indos sustinuit labores de pristino vita rigore, atque edemandæ carnis studio, quamvis aliud Indi climatis aestus suaderent remi-

misiit. Solis vivebat eleemosynis , quas tamen etiam sponte oblatas ægrè subinde admittebat , nihil verò auri vel argenti , aut aliorum donorum ob quorumcunque sacrorum administrationem, etsi aliis apud Indos mos foret, à quoquam sive Hispano sive Indo recipere voluit, sed siquid ob Sacramentorum exhibitionem oblatum fuisset; inter egenos mox distribui curavit. Quod advertens Dominus Franciscus Sancius , qui Cipacoæ regionem admirabat, ejus curam suscepit, suæque adhibuit mensæ, aut si alibi moraretur, ut ei opportunè providereretur alijs negotium dedit. At vir sanctus cibi parcissimus, sapè quantumvis strenuè laboraret, integros dies cibo potuque abstinuit. Pagos & villas ignaros fidei Christianæ rudimenta edocendo percurrentes, vili casa aut humili siquod occurrisset tugurio grato sub noctem hospitio utebatur, nuda humo vel paleis suriali strato fessa membra reclinans. Equo vel jumento nisi maxima urgeret necessitas non vehebatur, sed itinera quantumvis difficultaria pedes conficiebat, ad quosvis pro Dei gloria labores promptus, ad quævis pericula impavidus.

Transcundus illi quandoq; fuit torrens aquis adeò redundans, ut non nisi equo transiri posset, cum verò nec equus vadum reperisset dejectoque sessore ad ripam evassisset, atque ipse quoque à duobus qui aderant Aethiopibus rur-

sus in terram expositus fuisset, quidquid dis-
suaderent alii, cum itineris ratio urgeret, con-
scenso idenuò equo, aquis signo crucis signatis
facile vadum reperit. Alias cum subita coorta
tempestate navis qua vehebatur mergi cœpi-
set. Dibi implorata ope uno velut impetu ea
miraculosè ad littus impulsa fuit. Neque so-
lum à fluminum periculis se comitesque S.
Ludovicus eripuit, sed ab impetuosis quoque
imbribus protexit. Ipso enim orante, dum alii
corpora reficiunt nubes quæ timebatur, nec
guttarum eum in quo morabantur locum ef-
fudit, cum tamen in vicina circum loca tam-
dens caderet imber, ut viæ semitæq; omnes
quaquaversum aquarum eluvione impediren-
tar. Nihil quoque iter agentis truculentium fe-
rarum metuebat occursus. Reculit Hierony-
mus Fernandez Valentinas qui ultra septem
menses in Indiis ei comes adhæsit, quod cum
per densissimas sylvas iter agentibus non tard-
tygres aliæque id genus formidabiles belluæ
occurserent tremens ac horrens saepius exclau-
mare coactus fuerit. Quo imus Pater? an be-
stiarum hodie dentibus dilaniandos nos expo-
nemus? ad quæ ille: non est quod timeas fili,
Deus nobiscum est, factoque adversus feras
Crucis signo illæsi & securi perrexerint.

At crudeliores bestiæ facere in Ludovicum
bestiales islorum locorum idololatræ; quorum
tamen ferocitatem Dei virtute aut superavit
aut

aut mitigavit. Monitus quandoque cùm in Insula S. Thomæ pro concione ad populum diceret, adesse complures qui saxa portarent quibus eum si oportunum videretur obruerent, intrepidè nihilominus concionem prosecutus est, cui tantam Deus tribuit virtutem ut non modò nullam vim barbari intentârint, sed plus quam ducenti, finita concione fidei Christianæ rationē edoceri ultra petierint, eamq; docti postmodum Baptisma ab eo suscepserint.

Majus ac præsentius periculum subiit cum post plurimorum conversionem ad radices monas S. Marthæ incidit in Caribum genus, apud quos summa in veneratione erant prisci cujusdam sacrificuli ossa. Persuasum enim illis erat cœli machinam in caput eorum ruituram, si quando ossibus illis destituerentur. Qua barbarorum dementia cognita nihil non egit S. Ludovicus ut ab infano hoc errore eos revocaret, at nihil monendo ac hortando proficiens, divina adjutus ope, execranda ossa clangulò sustulit atque occultavit. Quo comperto, cùm non alio quam Ludovico authore id factum esse conjicerent, in caput ejus conjurant, at quia metu conversorum, quorum magna multitudo erat, eum publicè, uti constituerant, trucidare non auderent, veneno ei vitam adimere moliuntar. Invitato itaque ad prandium juscum mortiferis conditū herbis apponunt, quo sumpto, dirus ejus viscera dolor in-

vadit, omniaq; membra velut Æthnæsis succensa ardorib^z extuant. Facile cognitu erat sancto viro, unde tantum tam subito malum ortum suisset, ideoque summâ patientiâ acerrimos illos sustinebat dolores, ac forti lætoque animo extremum expectabat mortis jaculum, id unū dolens quod nemo adesset qui migraturo è vita, Christiano ritu divina exhiberet Sacra-menta. Solabatur nihilominus scipsum, crebra è Rosario pendulæ Crucis oscula, figens firmâ nixus spe benignissimum Deum pro sui nominis gloria laboranti & patienti, sive vivat sive vita excedat, subsidio, solatio, & præmio futurum. Nec spes eum sua fecellit: illico adfuerunt qui illum ad tutiora deportarunt, sedulò ejus curam agentibus duobus à Sancio Capitaneo illi adjunctis Æthiopibus. Quinto deinde die à sumpto veneno incredibilis pa-sus viscerum laniatus, unà cum veneno serpen-tinum evomit fœtum. Quo malo germine stomacho vacuato, melius quidem deinceps habere cœpit, at non penitus quoad vixit omni illius veneni effectu liber fuit. Retulit hæc ipse diversis singulari sibi devotione addictis, præsertim Magistro Natali Rectori seu Curio-ni Torrentis, conquerens velut de infirma ve-neni vi, quæ ei vitam adimere non prævaluerit, ac subjungens dixit: O beata mors ex qua Martyrii palmam sperare poteram! Felix Pa-ter ille Carmelita cui idem sacrificulus toxicum
pro-

propinavit, ex quo paucarum horarum inter-
vallo felicem consecutus est finem.

Audientes porrô infideles, illi sanctum virum
pristinæ sanitati restitui, agmine facto ipsum
 sagittis confidere constituunt, quod & perfe-
 cissent nisi præcipui cuiusdam Indi, quem ad
 fidem converterat interventu, periculo ereptus
 fuisset. Mitigato tandem eorum furore, cùm
 ablatis ossibus illis nec cœlum ruinam minari,
 nec aliud quidquam sibi mali imminere vide-
 rent, nec venenum illud (cujus vim experti no-
 verant) suum consecutum fuisse effectum, ten-
 tati sceleris pœnitentiâ ducti, non pauci eorum
 Christi fidem amplexi sunt.

Non levius periculum subiit S. Ludovicus
 in districtu Tubarensi, cùm in publica concio-
 ne præcipue inter Indos conditionis hominem
 criminis, etiam apud eam gentem admodum
 detestabilis, manifesti nimirum adulterij, causâ,
 graviter increpasset. Iniquissimè enim eam re-
 prebensionem ferens, finita concione, dilapsis
 plerisque qui adfuerant, in limine ecclesiæ In-
 dico armorum genere (quod Macana illis di-
 citur bipennis instar ex palma formatum) in-
 structus sancto viro occurrit illudque validissi-
 mo conatu in caput ejus vibrat, sed dextera Dñi
 famulum suum protegente impetu frustranso;
 armis juxta ejus pedes altum terræ infixis. Ni-
 bil verò hominis furore territus Ludovicus, ac

C 5

si pe-

si periculum non advertisset, securus ad perga-
gendum Missæ sacrificium pertexit.

At quod non potuere idololatræ in hunc no-
strum Ludovicum, in parvulum cui in Baptis-
mate Ludovici nomen indiderat perfecere.
Nam absente viro sancto illum vi abreptum
Idolo imolarunt, & quo scelus lateret à fluvia-
tili monstro dilaniatum finxerunt.

Neque solum à perversis hominibus, sed
etiam à dæmonibus gravissimas famulus Dei
perpells est afflictiones, à quibus non semel
diris verberibus crudelissimè cæsus est, præser-
tim cum senem quendam gentis angelignanu
morti proximum Baptismatis fonte regenera-
set, male tam ipse quam qui fidei Sacramentum
fusceperat afflictus fuit, sed cruce ex caninis in-
firmi lecto affixa, non modò nil molestiæ de-
cumbenti maligni spiritus inferre potuerunt,
sed nec ædium litmen subire. Eodem redem-
ptionis nostræ signo & alios ad fidem conver-
tos à dæmonum infestationibus liberavit, quod
fusus enarrare paginæ angustia non patitur.

CAPUT IX.

Überimi S. Ludovici in Indiis
animarum fructus.

Ingentes viri sancti, septennij spatio apud
Indos exantatos labores, uberes sanè Deo
dante consecuti sunt fructus salutis animarum.
Referunt publica fide pro ejus instituenda apo-

theſſy

theosi collecta acta, inter plurimos eximios Evangelij præcones neminem iis in locis aut majores collegisse fructus, aut plures S. Ludovico Christiano nomini veraque aggregasse fideli. Quin & hoc certa observatione compertū Indos sancti viri opera Christo lictatos ceteris in fide firmiores, vitaque ac morum integritate cultiores; Hispanos vero ab eo ad pietatem instructos, præ aliis in Dei cultu studioque virtutum persistisse ferventiores.

Licet autem ad Conventum S. Iosephi in civitate Carthagena deputatus esset, quocunque tamen eum Superiorum voluntas ad dissimilandam Evangelij sementem destinasset, promptissimus ibat. Hinc factum ut triennio in regione Tubaræ persistenter, ubi prima die qua advenerat, pridie solemnitatis Archangelo Michaëli sacro, dum solus in ecclesia orationi esset intentus, magno clamore accurrens Indus infantem baptizandum obtulit, à bono se spiritu admonitum asserens, quod is hunc in finem ad ea loca pervenerit quo incolarum saluti invigilet, & siquidem aquam in caput infantis effundat salutem eum consecuturum. Quibus auditis Baptismi Sacramento periclitanti de vita parvulo libens subvenit Ludovicus, eique Michaëlis nomen imposuit, at is in Christo renatus, mox eadem hora denascitur. Quo felici eventu sanctus vir multum exhilaratus, ingentes Deo gratias egit quod primus quem ex Indis facro

sacro fonte abluisset ad superos jam evolasset. Idque saepius deinceps, admirandos divinæ prædestinationis effectus considerans, ad mentem revocavit.

Tantam autem vitæ integritatem ea in gente sanctitatis opinionem comparavit, tantamque ejus doctrinæ & concionibus Deus addidit gratiam, ut triennij dicti spatio ad duo hominum millia sua manu baptizarit Christiq; suavi jugo subdiderit: qui hortante sancto viro plures ex juncis viminibusque constructas idolorum casas igne succenderunt. Cumque abditissimis locis Indi hujusmodi idolorum suorum latibula statuant, ne à Christianis investigari queant, S. Ludovicus Indorum parvulos mustusculis inducebat ut ea indicarent, quæ si innotuissent, ubi oportuni videbatur, in cineres redigebantur, ne conversis ad fidem ulla ad idola recurrendi esset occasio. Demum cum pene omnes eius districtus iocolis (vix quatuor familiis in infidelitatis errore persistentibus) ad fidem conversis, alio Superiorum iussu, sancto viro migrandum esset, abitum eius quem frustra impedire conati fuerant, amarissime planxerunt; pauperculam vero eius casulam (in qua nonnunquam mente in Deum abreptus ad binos à terra cubitos in aëra sublatus à stupentibus Indis conspectus fuit) in facellum postmodum ad sancti viri honorem converterunt.

Pares quin & maiores ex aliis locis in horreum

reum Dñi ; Domino cooperante, intulit fru-
etus S. Ludovicus. Ad radices siquidem mon-
tis S. Marthæ plus quàm quindecim hominum
millia eius concionibus ad fidem adducti Chri-
sti Baptisma suscepere. In quodam eiusdem re-
gionis tractu, cùm non nisi duos ad fidem ad-
duxisset ad viciniora loca transiens satis uberem
reperit messem multasque familias, baptizatis
unâ cum heris suis mancipiis, fidelium aggrega-
vit Ecclesiæ. Quibus dum adhuc adest plures
quàm mille quingenti ex eo loco ubi nullum
facturus videbatut fructum , famulum D E I
conveniunt enixè rogantes ut eos instruat ac
Christi fidem edoceat. Causam autem cur
mente mutata id postulent interrogati, eam esse
dixerūt. Quod cùm ad sua idolatrica convenis-
sent sacra præsentibus duobus illi Baptismate
ablutis, dæmon quem more suo invocaverant
horribili specie omnium oculis apparuerit ,
baptizatos illos protinus amoveri jubens. Cu-
jus imperio dum parere statuissent, juxta dia-
bolicum monstrum constitisse quendam Chri-
stianorum more vestitum, qui se à Fr. Ludovico
missum dixerit, quò dæmonum illis dolos ac
laqueos detegeret, multisque inter eos agitatis
quæstationibus dæmone victo utrumque dispa-
ruisse. Atque ex hoc ad Christi fidem suscipi-
endam se permotos esse quam proinde ab eo
edoceri cupiant. Nihil sancto viro optatius,
nihil gratius accidere potuisset. Qui divinæ id-

cir-

circo bonitati gratias agens probè instructos
facro Baptismate initiatos Christiano eos gregi
adiunxit.

Auxit cordis ejus gaudium quod hisce Deo
lucratis animabus percepit, alterius ijsdem in
locis præcipui viri conversio. Adverterat S.
Ludovicus illum non ut ante suis interesse
concionibus: quærerit itaque causam ob quam
id intermittat, respondet ille dæmonem suum
sibi uxori ac liberis exitium minatum esse si
amplius concionantem audiret. Ad quem vir
sanctus: Agedum videamus quæ dæmonis tui
sint vires, accedensque ad idolum fuste illud
contundit ac pedibus calcat. Ex quo cogni-
ta dæmonis qui in eo latebat imbecillitate,
spretis ejus minis Christo nomen dedit. Pessi-
mè habuit humani generis hostem tot tantos:
que S. Ludovici opera suæ eripi potestati, unde
eum viribus non prævalereret, ad fraudes con-
versus grandævi viri speciem indutus, Cartha-
genam redeunti in itinere se comitem adjun-
gens multa prolocutus, suadere conatus est ne
adeo in conversione ejus gentis se fatigaret,
laborem dicens inutilem esse: cum gens illa
præmentis hæbetudine suscipienda Christianæ
fidei incapax sit. Sed facile à viro DEI vete-
rator agnitus fuit: qui ex torvo ejus adspectu
se deprehensum advertens horribili ejulatu in
auras evanuit.

Porro non solum in Indiarum Regionibus;
sed

sed & in Insulis ad quas forte appulit in Hispaniam remeans insignes S. Ludovicus frustus fecit. Oceani Atlantici ingressurus æquor delatus in Insulam à S. Vincentio cognominatam multis cum comitibus, spatio in loco confluente magna hominum multitudine, ad Jesu Crucifixi fidem amplectendam eam invitac strenueque hortatur. Aderat incolarum Princeps, qui finita concione virum sanctum accedens, quæ causa sit, quod Crucem prædicet? quid rei sit Crux? teneri se ejus vivendi desiderio. Cui satisfacturus S. Ludovicus ingenti se arboris truncu applicat, brachia in modum Crucifixi extendens, moxque viro sancto retrocedente Crucis effigies arbori impressa conspicitur. Cujus intuitu prodigijs barbaris attonitis Princeps eorum in genua procidit, apprehensaque dextera S. Ludovicum suas ad ædes duxit, ubi novem diebus cum Hieronymo Fernandez detentus & ipsum aliosque plures Christi fidem edoctos sacro Baptismate abluit. Afferuit insuper memoratus Hieronymus, illum peregrina omnino lingua ea in Insula populo prædicasse cuius ne verbum ipse percepit, nisi cum nomen J E S U pronunciaret, hæfisse autem in ea Insula quinque mensibus plurimosque ad fidem convertisse, quibus discessurus præcipua fidei Christianæ documenta, cum nonnullis precatiōibus scripto tradiderit.

Quæ

Quæ Apostolicum virum Apostolis concessum munere, dono scil. linguarum præditum fuisse non obscurè convincunt. Quod & plures fidè dignissimi testati sunt, ipsique ex concionibus illius consecuti remonstrant fructus. Cùm extremo ex quo obiit morbo decumberet, venit ex Indijs Valentia vir Religiosus, qui neminem illo uberiore in Indijs fructus fecisse confirmans, addidit eum quantumvis vernaculo idiomate concionatus fuerit à diversis nihilominus Indiarum populis, nullam Hispaniæ idiomatis notitiam habentibus clarissimè intellectum fuisse. Idipsum cùm Carthagenaæ ex autoritate in ejus miracula & vitam inquiregetur sancte testatus est Capitaneus Franciscus Sanchez, asserens se quandoque Castiliiano idiomate concionantem audivisse, cumque attentè auscultantes vidisset Indos, interrogasse ex eis num Patrem illum intelligerent, qui omnino cundem se intelligere affirmarint, etiamsi omnes ejus idiomatis essent ignari.

CAPUT X.

S. Ludovicus varijs apud Indos coruscat miraculis.

NOn uno solum Apostolico illo linguarum dono sed gratia sanitatum, dono Propheetiaz alijsque quibus ad gentium conversionem destinatos servos suos ornare & instruere solet author salutis nostræ abundè cumulatum fuisse,

se S. Ludovicum in Indijs, conspicuum fuit. Laborabant quodam tempore plurimi ijs in locis ubi concionabatur, contagioso morbi genere rheumatis instar seu catharri, ex quo non pauci vivis excedebant, quapropter de domo in dominum accedens ad infirmos, suam eis benedictionem Crucis facto signo impertijt, cuius quotquot fuere participes, eorum nec unus hoc morbi genere deceperit. Unde cum etiam socius B. viri illo correptus fuisset contagio, Indus quidam, Quid infirmaris? ait, Patrem Ludovicum accede quod sanitatem sicut & nos recuperes.

Inda quædam Baptismate nondum in Christo renata, miserè circa collum enatis cruciabantur ulceribus, quæ sancti viri implorata operi, cum partes affectæ signo Crucis ab eo signatae fuissent, & collum linteo cinctum, postero ad eum revertens, adeo sana conspecta fuit, ut remoto linteolo nullum alicujus ulceris appareret vestigium. Eodem malo puellam quandam alibi afflictam cernens, solo benedictæ Crucis signo sanavit. Testata est Domina Agnes de Mendoza uxor Domini Angeli de Moreno, quod cum nonum ætatis annum agens, sub cura aviaæ in confinibus Tubaræ, gravi duorum mensium febre laborasset, ad aviaæ petitionem à sancto viro Crucis signo munita & aqua lustrali adspersa, quamprimum pristinæ sanitati restituta fuerit. Plurimos ejus Rosarij seu pre-

cariorum globulorum contactu, à variis membris animique & corporis periculis erexitos ac sanatos fuisse, ipse met præter mentem suam Illustri cuidam viro Valentia insinuavit. Offerens enim illi pro munere Rosarium suum, rogansque non in pretio sed veneratione haberi, addidit, eo plures in Indiis pristinæ redditos esse sanitati, peccatores ad bonam frugem, quin etiam mortuos ad vitam revocatos fuisse. Eodemque Rosario plura etiam post obitum S. Ludovici patrata, fuisse miracula, alibi si locus sit, memorabitur. Quin uti reversus ex Indijs Religiosus ille, cuius supra facta est mentio, retulit, constans apud Indos fama fuit ejus intercessione & meritis biennem puellam, filiolam conversæ ad fidem mulieris Indicæ, in vitam revocatam esse. Cujus miraculi veritatem ipse sanctus neque expressè affirmare voluit, neque negare ausus fuit.

Sacratissimi Rosarij quoque Reginam (cuius continuo cultum commendabat) invocanti cuidam amico suo, divinitus edoctus in summo periculo dum apud Tubarenles moraretur subvenit. Fuit is Jacobus Rafaëllus qui Carthaginem tendens naufragium passus, integra die ac binis noctibus Sanctissimi Rosarij Dominam continuo invocando, luctatus cum undis, tandem ubi in littus evasit, occurrentem sibi nesciarijs fomentis instructum habuit Ludovicum, quibus nisi refocillatus fuisset, vitam ultra eum

BERTRANDI ORD. PRÆD.

eum producere haud possibile fuisset. Multæ quoque alia in Indijs degenti Ludovica innotuere divinitus, ut P. Priorē Cœnobij S. Iosephi Carthagena ex Hispanijs reversum, eadem die, cum suo P. Suppriore terræ mandandum, P. F. Hieronymum de Barres ex loco quo destinabatur ad prædicandum, non reversurum, & alia, quæ particulatim recensere non permittit compendiosa narratio.

Non est tamen prætereundum id beneficij quod ē cœlo Cipacoæ regioni sanctus impetravit Ludovicus. Timebant eius incolæ ob soli ariditatem, cùm diu non pluisset, magnam annonæ caritatem. Convolant itaque pridie festi inclytæ Virginis ac Martyris Catarinæ ad famulum D[omi]ni Ludovicum, cum Principe suo quamvis à fide alieno, quâ fideles quâ infideles, rogant ut summi necessariam agris eorum impetreret pluviam. Annuit is benignè, jubet ut spem ponant in Deum, & gloriosam Martyrem Catarinam devotius venerentur, vota ipsorum precesque non fore irritas. Rectè proinde eos facturos si publicæ supplicationi instituendæ viam parent, altare ad radices in vicino montis construant, quô ineruentum D[omi]no Sacrificum pro publica necessitatè offerat. Placet omnibus sancti viri consilium, convenient frequentes postero manè Hispani & Indi, pergit ad constitutum locum, peracto Missæ Sacrificio gloriosum Catarinæ Virginis pro fide agōnem

deprædicat, atque ad concipiendum erga eamdem pium devotionis affectum excitat, sine hæficatione promittens copiosos cœlum imbres daturum. Nec fides promissis defuit, nondum enim domum reversis cœlum stillare cœpit atque sub vesperum integroque deinceps triduo, tam abundantem effudit aquarum copiam, ur sitientes agri opportuna irrigati pluvia uberrimam cultoribus suis reddiderint messem.

Plurimis aliis S. Ludovicum in Indiis clariusse miraculis dubium non est, sed ob locorum distantiam ipsiusque humilitatem & modestiam, magna eorum pars ad nostram notitiam non pervenit. Non semel enim ipsum ad fidei Christianæ confirmationem, absque omni prorsus læsione, venenum in Indiis haufisse publica & constans fama fuit. Neque solùm dum illic degeret eius merita infirmis & afflitiis salutem pepererunt, sed etiam post discessum illius contra morbos mortesque medicamina fuerunt. Folij siquidem chartæ, cui baptizatorum nomina sua manu inscriperat, lethargo ad extrema deductus, in vita servatus, & fo mina ob partus difficultatem vitæ periculo exposita, edita feliciter in lucem prole integræ sanitati restituta fuit. Filum togæ qua quan doque usus fuerat S. Ludovicus, P. M. F. Augustino de Avila Padilla qui ex Ordine Prædicatorum postmodum ad Archiepiscopalem Insulae S. Dominici cathedram electus fuit, vocis &

lin-

linguae usum restituit. Tanta Ludovici apud Deum merita, tanta hominum de Ludovici sanctitate in Indijs existimatio: imò in tanta illum apud incolas de Mompoix veneratione fuisse, ut vulgò ab omnibus Sanctus Fr. Ludovicus appellaretur, publicis ex Indijs allatis testimoniis constitit.

CAPUT XI.

S. Ludovicus ex Indijs ad Hispanias revertitur.

Quamvis totum Indorum se conversioni & saluti impendere proposuisset S. Ludovicus, ubi tamen à R.D.F. Bartholomæo de las Casas, (qui deposita Chiapensi insula pro Indorum libertate in Hispanijs agebat) monit' ut gnaviter quidem, divino fretus auxilio, Indorum conversioni intenderet, attamé & propriæ conscientiæ consuleret, si quando Præfecti & Gubernatores absolutionis sibi Sacramentum impendi postulassent, eô quôd non modica eorum pars, inquis modis indigenas affligens, illo beneficio indigna sit, tanta timorati viri conscientiam occupavit anxietas ut quôd ea liberaretur, ad Hispanias remeare decreverit. Quo cognito Rmss P. Magister Generalis F. Vincentius Justinianus quamprimum tres diversis vijs parentes ad cum litteras destinavit eundem in patriam redire jubens. Dum hæc agebantur in Hispanijs de reducendo, S. Lu-

D ; do-

Bovico, suasu Prioris Provincialis Provinciae S. Antonini de Novo Regno, qui de eo retinendo solitus erat, eligitur in Priorem Conventus de S. Fide. Quem licet honorem quantum poterat à se repellere niteretur, dicens se ad Indias venisse, non ut præcesset sed ut infidelibus Christi fidem prædicaret; obedientiam tamen se legibus coarctatum sentiens acceptare debuit, et si Deo aliter disponente munus non administrârit. Cùm enim navis mercibus gravida versus civitatem de S. Fide tenderet; adeò lento ea motu impulsa fuit, ut diebus admodum triginta dimidium vix itineris quod ordinario navigatorum cursu quatuor aut sex & viginti dierum spatio absolvitur confecerit. Unde factū ut medio in itinere ab alia eam navis quæ quindecim post diebus Carthagena solverat assecuta fuerit. Vehebatur ea Religiosus Ordinis Prædicatorum in cuius manus. R. P. M. Generalis litteræ per venerant, qui ubi intellexit in ea adesse P. Ludovicum in ipso fluminis alveo alteri navigio applicat, ac R. P. Magistri Generalis litteras sancto viro consignat. Quibus ille acceptis imensas Deo gratias egit; navis verò qua vehebatur velut gravi levata onere, eadē qua altera cursus velocitate pergens tenuit portū Angusturæ, ubi exscendens, dum commodam Carthaginem redeundi præstolatur occasionem Priori Provinciali & Patribus Cœnobij S. Fidei litterarum quas à Magistro Generali acceperat copiam mit-

mittit actisque gratijs pro delato sibi honore Prioratui renuntiat. Triduo post Teneriffam repetijt, ubi à singulari quodam amico nobili viro benignè receptus, rogatur ut domo eius usatur hospitio quo usque navigandi detur occasio, interea etiam omnia quæ ad iter necessaria sint sese provisurum promittente, cui vir sanctus gratias agens, libens annuit.

Cùm verò postero die nuntium Carthaginâ advolâssest naves intra octiduum inde futuras, subitò cunctis maritimò itineri faciendo necessarijs comparatis monetur Ludovicus navigandi occasionem ne præterire permittat. Ad quæ vir sanctus: Ne solliciti sitis, scio diem quo mihi discedendum, Deus cuius mira adeò dispositione factum, ut obtentam à Superioribus ad Hispanias redeundi facultatem reciperem, ipse quoque faciet ne classis sine me discedat. Binis inde clapsis hebdomadibus, cùm præfati nobilis viri uxor, ob partus difficultatem periclitaretur de vita, excepta ejus confessione, baptizatoque quem enixa fuerat infante domo egrediens, quotquot è familia erant sollicitè admonuit, ut diligentem Dominæ curam haberent neque unquam in cubiculo solam relinquerent. Verùm illa quiescente dū nihil periculi metuitur à prodigiosa magnitudinis serpente, quales ea parturit regio, in extremum periculum coniicitur. Horrendis enim sibilis cubile replentem audiens

lectoq; seproriens puerpera ad interiores ad diuin partes profugit , ubi manitimo exposita vento, cum jam ante nimijs exhausta esset doloribus, animo linquitur ac post horas quatuor vita excedit.

Dic sequenti defunctæ corpus separatur: traditur, exequiæ celebrantur S. Ludovico sacra peragente, ac funebrem habente concionem. Quibus ritè peractis sumpto prandio, aëtis gratiis, hospitem suum hisce alloquitur: Adeò mi Domine, grata fuere Deo vestra in me charitatis officia, ut quatenus aliquo modo compensarentur hucusq; voluerit in eis vobis adesse, ne vel defunctæ uxori vestrae vel proli Christiana decessent sacra. Iam tempus est ut vel hodie hinc discedam. Ceterum vos serio premoneo, ut ab illius Dominae (nominis eam designans) conversatione caveat, alioquin una cum ipsa Deum offendet, ac prematura panietur morte. Hisce ad extremum salutaribus hospiti datis moaitis eadem die Barrancam pervenit, indeque tridui spatio Carthaginem perveniens cladem expansis velis mox è portu difcessuram, ac resonantibus tubis celestina cancentem reperit; que & illo in navem recepto, veluti si is solus defuisse, quem hactenus expectasset, ad nostrum rata convertit orbem. At nobilis ille vir hospes sancti viri monitis eius non obtemperans, anno à conaminatione evolute viadice morte fublatus est cum complice.

Por-

Porrò dum altum teneret classis quā S. Ludoicus revertit, ingens quandoque orta fuit tempestas, tanto irati maris æstu, ut patum abesseret quin profundo mergeretur pelagi. Pericolo animadverso, vir sanctus ad proram navis quā vehebatq[ue] accessit, irruentibus fluctibus dextera salutiferæ formatum Crucis opponit signum. Quo facto priusquam navium costis illidcentur fluctus manifestè eorum frangebatur impetus, tantoque siebant tranquilliores quanto prora viciniores, conspicuo adeò cunctis prodigo, ut ipse vir sanctus à vanæ simbi gloriæ aura metuens, relicta prora divinæ cuncta commiserit providentiaz. Sed cùm illo recedente majore quam ante furore decumani intumescerent fluctus, unis quotquot aderant precibus illum denuò ad proram accedere compellunt. Unde pietatis ut prontus in eam erat, motus affectu, secluso vanæ gloriæ metu, idemmet frementibus undis, in prora consistens, salutis nostra signum obijciens, tumentes maris fluctus repressit, optatamque reduxit æquoris tranquillitatem. Referens quandoque hujus seriem rei intimè sibi familiari Fratri: Putasne (subjanxit) hoc sanctitatis argumentum esse? nequaquam sanè, sed fidei signum est. Ah multò plus gratiarum & honniss præ me accepit Lucifer, &c tamen aternū damnatus est! &c.

Superato demum vastissimi maris trachy

D^s

Hisp

Hispalim , unde solverat, denuò appulit, anno S. 1569. festo S. Evangelistæ Lucæ , nec diu illic moratus Valentiam repetiit, ubi singulari omnium gaudio receptus, Cœnobij in limine sibi occurrentibus Patribus, ac de felici reditu gratulantibus, Studiosius, inquit, Deo deinceps serviam , ac velut tiro Religionis apud vos vivam. Quod & reipsa præstítit , tanta enim humilitate, tantaque vixit modestia ut cunctis admitioni fuerit.

CAPUT XII.

S. Ludovicus præficitur Cœnobia S. Onuphrij.

Non diu privatæ vitæ, quamvis sumamè eam expeteret, concessum est sancto viro gaudere quiete. Anno siquidem proximo à redita ex Indijs unanimis Patriū suffragijs electus est Prior Conventus S. Onuphrij duabus fermè Ieucis Valentia dissiti. Cujus muneris honorem quantumvis refugeret, obedientia tamen compellente admittere debuit; suscepit vero munus ita gesit, ut quamvis rei domesticæ alijsque quæ id affert curis non deeslet, nihil tamen ab orandi studio & fervore, nihil à contemplandi assiduitate, nihil ab aliis sanctioris vitæ exercitijs remitteret, sed libera semper & tranquilla mente Deo & divinis intenderet. Erat eo ipso tempore quo S. Ludovicus cœnobij illius curam suscepit ob continuam aliquot

quot annorum sterilitatem magna passim annoꝝ caritas ut planè difficillimum videretur; copiosum adeo (quadragenarium videlicet) Fratrum numerum eo loco sustentare. Nihil tamen ipse in tanta rerum inopia angebatur, sed Dei fiducia plenus de nullo solicitus erat quam ut Deus à sibi commissis ferventius diligenteretur, ac religioſæ vitæ accuratiùs servaretur disciplina. Qua ex re factum ut nihil ipſi unquam defuerit: imò tanta rerum necessariarum à Deo subsidia obtinuerit, quæ non modò honestæ Fratrum sustentationi, sed & ſartis tectis conservandis, & æri alieno quo Conventus gravabatur solvendo ſufficerent. Atque ea ſubinde divinitus ſibi submissa fuiffe P.F. Vincentio Riberæ ingenuè fassus est, cum ſe neſcire dixit, unde eam habuerit pecuniam quam in cella ſua repererit, & in communis depositi arcula plus inveniri pecuniarum quam depositum fuerit. Testatus & illud fuit bibliopola Vincentius Garriga à quo creditò libros quosdam emerat, quod cum visitatum quandoque veniſſet S. Ludovicus, atque iſ ſibi ignoſci petiſſet, quod librorum illi preium mittere neglexerit, dicente illo non ſe pecunia exigendæ ſed ipſius viſendi cauſa veniſſe, vir sanctus ſubjunxerit: ſedeamus ergo & tantisper colloquamur, Deus providebit; post paululum verò interrupto ſermone, manum ad juxta positam mensam extenderit, acceptumque ex ea justū

exa-

exactè sibi librorum pretium tradiderit, quod
is, utpote qui nihil illic pecuniaè advertisset,
miraculi loco habuit, referensque idipsum al-
teri partem illius pecuniaè permutare rogatus
fuit, quam uterque sacrarum instar reliquiarum
habuit.

Contigit ipso Priore ad S. Onuphrij, ut die
quadam instantे jam hora, prandij signum dif-
ferretur. Vocat proinde sanctus vir P. F. Iose-
phum Gacetum Suppriorem jubetque constue-
tum prandij signum dari. Is verò ab eo cuius
id muneric erat intelligens panes pro residen-
dorum Fratrum numero deficere, rogat Prio-
rem signum prandij tantisper differri quo ad-
ferantur. Negat ille prandij horam differen-
dam esse, sed quantocvus signum dari man-
dat. Paret itaque Supprior, indigentiaè quæ
illum anxiū reddiderat non jam memor.
Affident mensæ Fratres, dividuntur qui aderant
panes (septenos aut denos fuisse memorat, cùm
sexaginta alijs opus esset) adeoque inter divi-
dendium manus augentur, ut quotquot men-
sæ adfuere (plures ter denos numerati) abunde
refectis, etiam alteri mensæ superfuerit. Ne-
que tamen prodigiosum panum incrementum
à quoquam animadversum fuit, nisi postquam
panes qui expectabantur, cunctis jam refectis
allati à P. Supprio conspecti fuerunt.

Non solum autem Fratrum suorum necessi-
tati propiciebar, sed & largas in pauperes di-
stri-

Atribuebat eleemosynas, nemine sine solatio dimisso, eratque hæc firma ei regula: In domibus Religiosis quod egreditur seu effunditur in egenos per januam Conventus, regreditur atq; refunditur per portam templi, & hoc quidem auctum in duplum. Ultra verò publicam, quam ad portam cœnobij erogari curabat stipem privatim ac secretò magna charitate indigentium subveniebat necessitatibus. Nobilis haud procul à cœnobia degens fœmina cum liberis maxima laborabat pauperie, quam tamen familie honori consulens nemini constare volebat, at non latuit Ludovicum, qui per devotam quandam Dei famulam, id quo indigebat matronæ misit pecunia. Quod cum illa sine restitutionis onere, velut egena accipere recusaret, intelligēs à P. Ludovico eam sibi missam fuisse pecuniam. Verè ait, Deus servo suo meam indicavit inopia, alioquin illi impossibile fuisset eam cognoscere, divinæ Majestati summæ sint gratiæ pro tam opportuno subsidij beneficio.

Multis alijs varijs calamitatibus afflictis sui apud Deum meritis dum ejus loci Cœnobiaracham ageret S. Ludovicus subvenit. Illustris è Regno Valentiæ vir domo absens gravissimam sustinuit afflictionem, venit Ludovicus mœstam consolaturus uxorem, rogando & horlando ne nimio lamentetur animumq; despondeat: visurā enim maritum suo honori, gradui & bonis restitutū. Dimidio clapsō anno queritus

sur-

rursus maritum suum nequam liberatum esse.
 At Ludovicus minime anxiā esse jubet, post triennium enim certò liberatum iri. Quod & planè ita evenit. Interea continuis vir sanctus afflito apud Deum aderat suffragijs, uti Religiosæ cuidam Ordinis Carmelitarum in cœnobio SS. Incarnationis revelatum fuit, quæ precibus intēta prædictum Illustrem vi-
 rum ex prætentissimo periculo submersionis succurrente S. Ludovico eductum conspexit. Alijs quoque ne gravissimis tentationibus succumberent, alijs ne peccata quibus jam confesserant perpetrarent, alijs ut lapsi in peccata resurgerent precibus suis impetravit Ludovicus.

Quô verò cunctorum cœnobium S. Onuphrii prætergredientium animos ad recolendum Dominicæ Passionis Sacramentum excitaret, insignem arte & materia Crucifixi statuam in termino publicæ viæ erigi curavit. Quo in opere cùm nonnulli nimios quererentur impendi sumptus quam temporum ratio, & rei domesticæ pateretur angustia, placidè respondit; majores ab hereticis passim alibi sumptus impendi in Christi & Sanctorum imaginibus demoliendis, quam ad illam erigendam opus sit. Cùm verò ipso inscio ejus nomen operi nsculptum fuisset, illud omnino abradi & aboleri jussit, humanam omnem quæ inde nasci posset, aversatus gloriam.

CAPUT

CAPUT XIII.

S. Ludovicus denuò tironibus in-
stituendis præficitur.

Expleto officij, quod ad S. Onuphrium ges-
serat, termiho, S. Ludovicus Valentiam re-
dux, unicè uni Deo , ab omni alia functione
& cura immunis, vacare optabat. Verum id
minimè adhuc obtinere potuit : exiguo enim
post temporis intervallo Superiorum justu
Fratrum Novitiorum, ut vocant, curam denuò
suscepit, eodemque quo olim zelo & fervore
administravit, verbo & opere in omnium eos
virtutū amore, & studium inducens. Quod non
ferens malignus pietatis hostis totis eos viribus
infestare eorumque quietem interturbare co-
natus est, sed irritò : Magistro probè tirones e-
jus technas edocente. Cùm enim Frater qui-
dam terrifico strepitu excitus, corde pavens ad
Magistrum configisset : Nihil ad panicos ter-
rores illos expavescendum esse adinoruit, vi-
disse se quidem Æthiopem, à tempore quo il-
lud officij gesserit, gravibus onustum catenis
per domum cursitare, ut eos perturbet , sed
nihili strepitus illius faciendos esse.

Licet autem hac ipsa sat gravi detineretur
cura, prædicandi tamen, aliorumque saluti in-
vigilandi studium, ea propter non intermisit.
Anno siquidem 1474. in vico Borriana diei iti-
nere Valentia distante, Quadragesimalis jejunijs
tem-

tempore, solito animarum fructu conaciones ad populum habuit, magno incolarum numero (ut loci ejus primarij, quos Iuratos vocant, testati sunt) ad meliorem frugem reducto. Ubi etiam operario, qui ex arbore delapsus sensum & loquelæ usu destitutus jam jam animam agere videbatur, impetravit tantisper loquendi facultatem, quō facta exomologesi sacro reficeretur viatico.

Venit circa id temporis Valentiam P. F. Michaël Ferrerius incensus desiderio videndi & nescendi sanctum virum, quem peramanter excipiens, quō familiarius colloqui possent secessit cum eo ad hortum, ubi cū aliquamdiu obambulantes de divinis locuti fuissent, jamque ab invicem discessuri essent, Ludovicus frontem P. Michaëlis (uti multis aliis solitus fuit) Crucē consignans: Recordare, inquit, Pater ut tale confitearis peccatum, reducens illi in memoriam peccatum quod quatuor annis ante suscepit Religionis Prædicatrix Institutum commiserat. Qua ex re attronitus ille Ludovici sanctitatem magis suspiciens, de peccato quod menti hactenus non occurserat, ritè in tribunali Pœnitentiæ se accusavit. Neque hic unus & solus est, quem oblitus vel neglectæ culpa memorem fecit, sed multis alijs suos ad memoriam defectus reduxit, aut de occultis admonuit. Fr. Andreas Cabrerizo cum germano suo Fratri nemine alioquin con-

cio

conscio dissuasisset ne Religionis statum amplecteretur, nec de hoc in confessione sancto viro facta se accusaret: *Quid hoc est?* ait Ludovicus, *Cur non & de malo consilio fratri tuo dato te accusas?* Fassus fuit P. F. Francisus Clemens se aliquoties fugisse ejus alloquium siquando conscientiam confessione non exonerasset. B. M. F. Nicolai Factor Ordinis Minorum, nec eum visitatum aut salutatum venit nisi facta exomologesi, ut ipsemet in litteris ad S. Ludovicum datis, fateri non erubuit.

CAPUT XIV.

S. Ludovicus præficitur almo Conventui Valentino.

Cum tam præclara vitæ exempla, tam insignis virtutum splendor, tamque illustres cœlestium donorum radij, magnam sancto viro apud omnes existimationem conciliassent, cœnobij Valentini Patres, quorum magna pars Regularis vitæ disciplina ab ipso imbuta erat, illum sibi præesse cupientes Cœnobiaracham elegerunt. Cujus sanè officijonus, non tam curarum, quas affert molestias, quam Prælationis honorem fugiens, neutiquā suscepisset, nisi sancta Patrum electorum intentio, utpote qui eo duce per virtutum semitas ad Religiosæ perfectionis adspirabant culmen, & sanctæ obedientiæ leges, ad illud subeundum illum compulissent. Tam augustæ

E

veræ

verò præfetus Communitati , vires suas müneri impares censens ad S.sui Vincentij patrociū recurrit. Nā simul ac humeros oneri submisit, ad illib⁹, quam dum mortalis viveret incoluit cellam, se contulit, humique prostratus coram ejus imagine, depositis ad ejus pedes coenobij clavibus , muneris sui dignitatē à se abdicans eidem Sancto detulit, ipsum ut Pastorem ac Præfulem, sacræ illius domus agebat humiliter rogavit, spōndens sedulum se illius acturum Suppriorem. Cùmque his dictis imaginis pedes osculari vellet , ipsa inclinata sanctum Ludovicum solo levavit suaviterque amplexa est. Ita cuidam Religiosorum contigisse per totum ferebatur Conventum. At cùm nemo rescire posset, aut cui id contigisset, aut quis vidisset, aut evulgasset, à duobus Religiosis qui in extrema infirmitate decumbenti inserviebant, per honorem S. Vincentij eū obtestantibus, ipsimet contigisse compertum est : inclinato enim aliquantulum capite humili voce asinæ Balaami se assimilans quærentibus respondit, nullis id suis meritis tribendum esse, sed planè eum in modum sibi obtigisse quo asinæ Balaam, sine omni ejus merito loqui datum fuit.

Hujus itaque Patroni fretus auxilio intrepidè quæ muneris sui essent exequi statuit : Quod & anno 1575. die 15. mensis Maij auctoripicatus est, illud Apostoli : *Si hominibus placet*

terem servus **DEI** non esset, uncialibus characteribus exaratum cellæ suæ affigens, hoc insinuare volens, quod si humanis affectibus cum divinæ non consonant voluntati obsecundaret, se muneri suo defuturum, ac **Deum** offensurum. Unde nullo personarum discrimine, quæ monenda quæve corrígenda aut castiganda erant, monebat sedulò, corrigebat, & castigabat seriò. Licet autem prompti ac alacres Religiosi ejus sequerentur ductum non defuerit tamén casus ex quibus ingenti afficeretur mœtore & dolore. Paucis à suscepso regimine diebus, oranti ttes simul appatuere virgines ea specie quæ S. Veronica repræsentari solet: singulæ namque velum crux maledicentem, colore exsanguem Christi vultum referens exhibebant, qua ex visione didicit quanta triennio officij sùi passurus esset. Accidit nescio quid, quo integrissima Fratrum Conventus Valentini fama graviter læsa fuit, ex quo incredibilem vir sanctus animo percepit dolorem, quem tamén **Dei** benignitas paulò post temperavit. Prospiciente enim illo de fenestra ad pedem ejus decidit passer, qui crure fracto volare haud poterat, laboranti avicula condolens Ludovicus, simul hæc verba Domini ex Matth. 10. cap. audijt: *Et tamen unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro.* Quibus mirificè consolatus, **Deo** intus revelante cognovit divina permittente providentia id

mali evenisse, ut modis & mediis hominum cognitioni ignotis, major exinde Deo accresceret gloria.

Ea porrô qua semper ante, in officio erat humilitate, ampliore honoris titulo à subditis se compellari minimè sustinebat. Nihil exigebat, nisi quod ipsem et accuratissime praestitisset, in omni pietatis ac Religionis exercitio primus. Neque ob Pastoralis officij curas aspera pœnitentiæ exercitia, abstinentiæ rigorem corporisque castigationes intermittebat. Choro die noctuq[ue] aderat nisi infirmitate prohiberetur, ac multoties post horarias Matutinarum preces flexis genibus divinorum intentus contemplationi ad Primam usque persistebat immotus. Neque fixa ea adeo mentis ad divina intentio, vel minimè impedimento erat quô minus exacte optimi Prælati fungentur officio.

Cum subinde ob corporis debilitatem pedibus insistere non posset, suo tamen loco sedens in odæo horarijs precibus quô divina ritè peragerentur interesse voluit. A comuni Fratrum refectione nunquā aberat ut & lectioni & Regulari disciplinæ attenderet, ac ne Conventui honestè religiosèq[ue] reficiendo aliquid deesset, prospiceret. Magna siquidem illi cura erat ne quid necessariorum sive sanis sive infirmis deficeret: neque differebat quousque necessitate compulsi, quibus indigerent petitum venient,

gent, sed ipsem sollicitè quid cuique deesset, inquirebat, utque confidenter si quo egerent, ipsi insinuarent, rogabat. Erga pauperes, uti olim, munificentissimus fuit V. P. Dominico Anadon ut quotquot vellit panes pauperibus distribueret indulgens, divinæ confisus largitati, quam & reipsa expertus est. Quamvis enim quotidie amplius trecentis egenis è Conventu alimentorum subsidia præberentur abunde, nunquam tamen defuit quod elargiri posset, utpote Deo largissimo bonorum remuneratorē tanto plura retribuente quantò plura Dei amore egenis erogabantur.

Celebrata fuerunt in Cœnobio Valentino anno 1576. Comitia Provincialia quæ quod plures requirant sumptus, plurima S. Ludovici Prioris meritis à Deo impetrata fuere subsidia. Retulit D. P. Laurentius Zamora Instituti Carthusiani, quod cum Comitiorum eorumdem tempore ad sancti viri cellam accessisset comparuerit ipsi ignotus quidam, nonnulla S. Ludovico ad necessarios usus opportuna deferens, quem simulac viderit, his allocutus fuerit: non minus centenis libris mihi aduers. Obstupescente latore, & querente, Unde id nosset? intenso in Crucifixum digito, responderit, Ille mihi dixit. Largè proinde omnibus, et si cara admodum esset annonæ, provisum fuit, adeò ut illius & liberalitatem & charitatem, qui Comitiis adfuerant satis commendare nequiverint-

Nihilominus ex profundæ humilitatis radice, & honeste illo se indignum & oneri imparem reputans, Reverendiss. P. M. Gen. Sraphini Caballi enixè rogavit, ut hac eum sarcina liberaret, sed minimè impetravit: adeò enim exactè P. Reverendissimus muneri ipsū suo satisfecisse judicavit, ut præ aliis Cœnobiarachis ampliore illum voluerit pollere auctoritate.

Verùm ea deposita sarcina, illum mox alteri suscipienda patatum esse debere, nec unquam non sub Crucis pondere famulo Dei desudare conveniens esse, cœlesti oraculo edocetus est. Cùm enim paucis post diebus, ea cura liberandus, recitatis Matutinalis Officii precibus die S. Petro Martyri nostro sacra 1578. ad suam rediret cellam, hæc illi superna intimata fuerunt voce: Deo magis placet afflictio cordis, contritio & tribulatio, quam dulcedo, solatium & letitia. Pastorali demum cura solitus, sibique soli redditus, plurimum in Domino gaudebat, quod pijs, ut sperabat anterioris vitæ exercitiis, (qua tamen nunquam cuiusvis officiū causa intermisit) liberius & frequentius vacare posset. Unde terrenis quibuscumque curis liber, continuè sua se continebat in cella, nec pedem inde effekens, nisi charitas proximorum eum foris vocasset: ea enim urgente cùm posset, quantumvis illi molestū foret, nullius postulatis defuit commune factus.

factus afflictorum asylum. Porrò quæ vel il-
li divinitus patuere, vel in alias per ipsum dum
Cœnobio Valentino præfuit, aut tempore
quo à deposito eo onere superstes fuit (duo-
rum nimirum annorum & quinque ferè men-
sium spatio) cœlitùs collata beneficia sunt,
inferiùs quantum constrictæ descriptionis li-
mites permittunt, attingetur.

CAPUT XV.

Salutaris S. Ludovici timor.

PRiusquam felix S. Ludovici ex hoc sæculo transitus describatur, enarrato obiter ejus vitæ curriculo, operæ pretium esse videtur, præcipuarum ejus vittatum, cœlestiumq; donorum seriem quandam contexere. In qua primus sanè occurrit salutaris illius Timor; ut pote cùm ipsa Sapientia teste: *Initium Sapientiae Timor Domini sit.* Præfulsit hæc maxime ne-cessaria virtus in Ludovico à teneris, ut ajunt, unguiculis, crevitque cum illo ab adolescen-
tia usque ad supremum vitæ terminum. Ne-
e enim tot tantisque cœli favoribus mens ali-
quando vanè intumesceret, arcto hoc timoris
nervo cor & carnes ejus constringi oportebat. Considerato proinde periculo peregrinantis creaturæ rationalis suoque arbitrio re-
licitæ statu, omnibus tremebat artubus, ipsis
etiam ossium concussis intimis medullis, cum
singultu & gemitibus non raro ex oculis e-

tum pente uberrimo lacrymarum profluvio, etiam si nec ad ferocissimarum occurrsum bestiarum trepidaret, nec ad ullum quantumvis praesentissimum vitae discrimen expavesceret. Unde non modò nihil sub cœlo reperire erat quo timoris hujus angustiae relaxari possent, sed nec ipsa quæ cœlitus illi affluebant charismatum dona, hoc quem ex ambiguo æternitatis momento conceperat metu, anxiū ejus peccatus liberare poterant. Ingenti præterea concutiebatur horrore, si quando rationis in extrema Iudicii die de commissis peccatis, ac male impensis Dei beneficiis reddendæ, consideratio mentem subiisset. Quandoque intimo amicorum dixit se noctu expergefactum non aliter viva Dei memoria ac praesentis velut cōspectu contremuisse ac Iobi 4. cap. legitur: *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavon tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt.*

Quidam vir Religiosus instanter tot cœlestium secretorum, quæ ei divinitus patefieri advertebat conscius fieri cupiebat, quô illa scriptis mandare posset, ut posteris exemplo, & emolumento essent. Cui tandem vir sanctus respondit: *Habent Moyse, & Prophetas.* Atque hoc dicto altum suspirans, subdidit id quod alias saepe dicere solitus est: Ah plura & majora præ me cœlestia dona habuit Lucifer, & tamen è cœlo ad inferos deturbatus est.

Iudas

Iudas Apostolatus consecutus honorem, miracula operatus est, & tamen laqueo sibimet vim intulit, æternique accersivit pœnam supplicii,

Demum importunè toties idipsum flagrantem hac Domini voce: *Vigilate & orate, quia nescitis diem neque horam compescuit*, ut ab hujusmodi postulatis desisteret. Tam validè confixerat cor Ludovici salutaris hic timor, adeoque profundè menti illius veltut celte insculptum erat illud Ecclesiastis: *Nescit homo amore an odio dignatus sit.*

Fatebatur item quoddquotiescunque vel legisset vel legi audivisset illa Pauli ad Timotheum verba: *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*, cor suum velut pugione transfigi senserit, metuens ne ex eorum ipse esset numero. Addebat quoddcum raris quandoque à Deo præventus favoribus, aliquid ex eis captare voluisse oblectamenti, velut in præcepis ruiturus equus à Deo seu fræno retractus fuerit, immisso cordi suo horribili damnationis timore.

Interim non permisit divina bonitas dilectum suum Ludovicum nimio timore hoc unquam dejici, sed frequentius in certam consequendæ beatitudinis spem erexit. Contigit ut festo inclytæ Virginis ac Martyris Catarinæ, Religiosus quidam ipso præsente vitæ illius atque agonis historiam legeret, cui dum devo-
tius attendit, oculis aliquandiu in cœlum fi-

xis subitò exclamat, Ah , ah Domine. Obscure pescens ad has voces qui legebat, querit quid ei acciderit , quæ causa exclamationis sit , respondet vir sanctus,Benè, benè est. nec plura animo ad superna rapto, eloqui potuit. Sed ubi à mentis excessu ad se rediit,importunius urgente qui legerat cœlestem se quandam lumen vidisse fassus est,ex cuius miro ac jucundissimo fulgore, hæc ad eum vox facta : Tu modò vivis in tenebris, in dolore , & timore , salutis tuæ, at veniet dies quando gaudebis in luce, & fruēris claritate æterna. Defuncti quoque Fratris cuiusdam anima,cùm injuriæ quam sanctum virum in vivis affecerat veniam obtinuisse, & à piacularibus pœnis , ad cœli migraret præmia, querenti num in vita beata ipsius cognosceret,statum, respondit: Ne timeas Pater: Deo perge servire, plurimùm illi dilectus es &c.

CAPUT XVI.

Profundissima S. Ludovici humilitas.

SAlutari huic timori , virtutum omnium fundamentum accessit humilitas, quam alij planè summam & admirandam , alij profundissimam ac majorem in Ludovico fuisse, quam in ullo hominum viderint,sancte testati sunt. Omne siquidem ejus studium,omnisque cogitatus ad sui annihilationem tendebat.

bat maximum qui in mundo esset peccatorem sc̄e existimantis, ac talem haberi desiderant. Amabat despici, nec humilis, sed vilis & abjectus reputari. Sui contemptu mirè lētabatur, honore sibi exhibito cruciabatur. Titularum magisterio fungens suos sibi defectus ab eisdem indicari ac detegi jussit. Quod si quis fecisset, plurimas ab eo referebat gratias, meritari inque pœnarum remissionem. Cœnobiorum regimini admotus siquem fortèasperius corripiueret, aut non satis mansuetè affatus fuisset, etiam à sibi subditis contra quā Augustini exigit Regula) humili prostratus veniam precari non dubitavit. Recusavit quandoque Nobilium quorundam negotiis se immiscere, quod à grē ferentes, quorum res agebatur, ut eum contumelia afficerem posset, vellut infirmi alīcujus causā vocant ad ædes in quibus convenerant, quas simul ac subjet, innumeris illum malevoli scommatibus convitiisque onerant, improbum ac perversum appellant Monachum, qui pro libitu suo huc illicque per domos discurrat. Ad quæ placidissimè more suo Ludovicus: Vocatus è cella mea huc, mei Domini, veni: improbum & perversum, meritò me compellatis: nec est qui rectius quam vos, me nōverit. Atque hoc dicto, adeò hilari vultu animoque ad cœnobium revertit, ut nihil hac injuria illi gratius videretur potuisse accidere. Quin imò ut

ut locuples testis fuit V. P. F. Dominicus Andon, si qua occasione contemptui habitus fuisset, in suam se cellam abdidit clausisq; ostio & fenestris Deo gratias egit, quod vili se pensum adverterit.

Neque solum aliorum in se convitia aequos cerebat animo, sed siquid forte rerum minus ex voluntate accidisset, sibi culpam imputans, se claudum, cæcum facuum omnium malorum occasionem dictabat. Auditusque fuit adaptare sibi illud Terentianum : *Ego sum Davus perturbans omnia.* Cœnobiam ad S. Onuphrij agens F. Antonio Catalano ipsum consolante ac dicente majorem se illo peccatorum esse, magna cum emphasi subjunxit: *Vergè ego inter omnes quos mundus habet peccatores maximus sum.* Tundensque subinde pectus in has ab humilitate dictatas erupit voces : Ah pessime, surde peccator, quis es tu? nisi in nervo posuisset Deus pedes tuos, quid non adversus Creatorem tuum molireris? nervum seu coimpedes, eum quo ex crure laborabat affectum intelligens. Reprehensus à non nullis, quod nimia corpus castigatione adeo affligeret, ut chirurgi deinde opera ei necessaria sit, Verum est, subdidit, nescio quid agā, debilis sum cerebri, & capite langueo.

At contra summa afficiebatur molestia si quis singularem aliquem illi exhibuisset honorem. Occurrit aliquando in ambitu cœno-

Nobis præcipua nobilitatis viro D. Francisco Blanes, curvato poplite ejus manum osculari cœnanti. Quod sancto viro adeò molestum accidit, ut humillimè in genua pro voluntus per Deum Franciscum obtutus sit, ne tali se unquam dignaretur honore pessimum gravissimumque peccatorem. Äquè illi grave accidit, si vel digniore appellationis titulo honoraretur; vel cuicunque, quamvis id apud Hispanos Sacerdotibus moris sit, manum osculandam exhibere cogeretur: latum enim dicebat inter se aliosque Sacerdotes intercedere discriperi.

Nec satis erat famulò Dei quod ipsemet humilitati studeret, sed omni conatu id ipsum alijs suadebat, utque persuaderet ipse omnium desiderabat esse humillimus, nihilque ita ipsi volupe erat quam conversatio & sermocinatio cum humilibus, etiamsi pueruli essent. Omnibus autem quotquot in hac tantopere commendata ab ipso Salvatore proficere & excellere cuperent virtute, aurea hanc accuratè servandam præscribebat regulam:

Spernere se, Spernere nullum, Spernere mundum, Spernere spem.

De qua sane illud Doctoris Mellifui verissime dictum sit: *Hæc ad sublimitatem via, & non est alia præter ipsam: qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit.*

CAPUT

Angelica S. Ludovici puritas.

Ingens Dei donum, ingens Dei beneficium illæsa corporis animique puritas: Nam ut Angelicè dixit Chrysologus: *In carne præter carnem vivere, non terrena vita est; sed cœlestis.* Hoc Dei donum obtigisse S. Ludovico non vulgaria persuadent argumenta. Laurentius Perpinianus urbi Valentinæ à conscribendis publicæ fidei litteris, qui illum à quinto ætatis anno noverat, eique quoad viat per quam familiaris fuit, ut certum habuit ea puritatis integritate sanctum virum è vivis excessisse, qua ex materno prodiit utero. Alii virginalem ejus puritatem admirati, Angelum potius videvi dixerunt quam hominem. Attamen non sine periculo conflictu hæc pretiosissima ab illo servata est gemma. Cùm Tubarensium in Indiis conversioni insudaret, malevoli quibus honestissimè ejus mores & solitaria vita stupori erat, per subdolā melioris formæ quam pudicitia fœminam, sancti viri pudore tentandum statuerunt. Verùm ubi illa lenociniis Ludovicum in casa quam incolebat aggredi non erubuit, is protinus cingulo suo velut flagello, impudicam, nequicquam se aliorum instinctu venisse querente, in fugam congettavit. Qua ex re puritatis ac honestatis ejus fama plurimum confirmata est. Idque ut
cœ-

credibile est, fuerit cingulum ejus, quo variis oppressi morbis pristina; ut legitur, sanitati restituti fuere. Alium non minoris periculi, sed copiosioris effusi sanguinis conflictum illius, refert Historia Mexicana. Vir primarius, quousque continentiae servabat leges ipsi apprimè addictus, ob illicitos amores graviter semel iterumque ac tertio admonitus, ægerrimè ferens ejus reprehensiones, impudicam puellam ære conductam sub medium noctis ad illius templo vicinum tuguriolum jubet accedere ipsumque si possit ad libidinosum inducere concubitum. Venit illa, nocturnis adhuc precibus vacante sancto viro, qui auditio ostii pulsu mox accurrit, ad infirmum quæpiam se vocari existimans. Sed ut referato ostio decoram videt adesse puellam, Crucis se signo muniens sine mora ad proximum fugit facillum, acriterque adeo in corpus suum flagellis sævit, ut audito ictuum strepitu puella ad ostii rimam, quid rei gereretur visura accesserit. Ubi autem sanctum virum ad sanguinis effusionem se flagellantem conspexit, pudore & stupore repleta loco se movere haud potuit, nisi impudentiæ veniam impetrasset. Interea Ludovico trium horarum spatio orationi insistente, atque in estasim rapto, duæ supra humanam speciem apparuere Heroinæ, quarum altera S. Mariam Magdalenam, altera gloriosam Virginem ac Martyrem Catarinam.

spe.

80. VITA S. LUDOVICI

specie referre visa, quæ sublevatum à terra, mirificèque consolatum, forti animo esse jusserrunt. Quibus animatus ad stupentem pueram revertens, Vade, inquit, filia in pace, at cave similem unquam admittas culpam ne divisa improvisò te corripiat vindicta. Abiit illa, retulitque ex ordine omnia ei cujus nefario suos inducta fuerat. Qui mox animo compunctus, summo manè lacrymis perfusus ad sancti viri pedes procidens veniam petiit, seriam vitae emendationem, ac sceleris, juxta ipsius arbitrium, expiationem promisit, quam & fecit, tare deinceps vivens continentiae & pœnitentiae exemplo.

Ejusdem Angelicæ puritatis non levè argumentum habitum fuit, mirificus quidam odor, quem & viventis & defuncti corpus, vestimenta ac libri spirare à quam plurimis animadversum est, uti & qui infirmo sex mensium spatio inservierunt, & ipsi Doctores Medici, qui sanitatis ejus reparandæ causa illum inviserunt consueverunt sancte testati sunt, asserentes quod in vicem gravis alicujus odoris que putre crutis vulnus exhalaturum credidissent, mirè grato semper odore tibi eum accesserint aut decumbenti adstiterint recreati fuerint, qui nullius rei odori comparari queat. Eundem exhalasse odorem cadaver defuncti non modò prius quam sepulturæ traderetur, sed etiam postea cum anno 1582. ipso festo Annun-

nunciationis Deiparæ Virginis ē priore se-
pulchro in decentiorem repositum est locum,
quām plurimi testes deposuere. Quæ sanè
Angelicam Ludovici puritatem apertè con-
firmant. Accedit quod ipse met Tenariffæ in
Indijs Dominæ Isabellæ de Mexia, cui à sacris
confessionibus erat, ex occasione dixerit, se
DEI gratia illæsum à juventute servâsse vir-
gineum pudorem.

CAPUT XVIII.

Asperimus S. Ludovici vitæ ri- gor, carnisque edomandæ studium.

PRobè sciens vir sanctus, præter timorem
DEI magnum Castitati à castigatione cor-
poris præsidium esse, juxta illud Romani Sa-
pientis: *Durius tractandum est corpus, quò ani-
mo pareat, infestum corpori bellum indixit,*
quod ad usque vitæ quoque terminum con-
tinuavit. A teneris siquidem annis illud jeju-
nijs, vigilijs, flagris, cilicijs, alijsque carnis ca-
stigationibus spiritui penitus subjicere, alla-
boravit: tamq[ue] cibi parcus fuit, ut velut im-
possibile visum fuerit hominem eo quo vesce-
batur vitam producere. Ne verò in necessa-
rij cibi sumptuone oblationis aliquid per-
ciperet, frequenter ei admiscebatur aloēn; in-
terrogatus verò quam ob causam id faceret,
sibi ita conducere respondit. Nihil delicationo-

F rum

rum ciborum etiam infirmo sibi oblatum sumebat, sed aliis infirmis apponi jubebat. Cum Moncadæ sub vita penè finem per Quadragesimæ dies conciones habenti, delicatum quoddam piscium genus in prandio appositum fuisset, neutquam id gustare voluit: Aequum non esse, dicens, ut qui alios ad pœnitentiam horretur tam delicatis vescatur cibis. Idem fecit alibi, solis leguminibus & herbis vicitare consuetus. Gravissimos nihilominus ad extremum tantæ vir abstinentiæ, calore naturali per divini ardoris quo flagrabat incendiū, mirè succenso, atque præternaturali excitata orexi; Medicis verò juxta suæ facultatis leges, nihil illi solidioris cibi permittentibus, inediæ perpeccus est cruciatus, adeò ut quamvis nihil unquam suo indulserit appetitui, per vulnera Christi, panis aliquot buccellas, ex Medicorum præscripto sumendis iusculis, apponi rogaverit.

Diuturnas ut alibi indicatum semper ducebatur vigiliæ. Lecto nunquam nisi coactus, sed duro semper cubabat tabulato. Quod si Medicorum iussu gravi pressus infirmitate, leditum corpus reclinare compulsus fuisset, varios quô corpori nulla daretur requies, adinveniebat illud affligendi modos. Paucis ante ejus obitum diebus P. F. Joannes Lescanus dum ipso invito ejus oscularetur manum, asperum, lateritij lapidis fragmentum sub interula ad vivam carnem applicatum advertens stupore reple-

pletus, exclamavit: Bone JESU! quid agis, mi
Pater, cùm adeō infirmus sis? Cui vir sanctus t
Ah carissime fili! qua ratione aliter agerem,
mors instat, multis opus est ut cœli nobis a-
ditus pateat. Nôsti quanto patiendi quidpi-
am ferar desiderio. Rogo te proinde nemo
id sciat quod advertisti. Horridis insuper car-
nem affligebat ciliciis, aspera nonnunquam
etiam lumbos constringebat catena, diris dor-
sum dilaniabat flagris, adeō ut & cellæ pavi-
mentum & parietes non raro notati fuerint
ejus respersi sanguine. Quæ ut occasio tulit
alibi insinuata sunt. Proficisciente viro sancto
ad Indias, nihil tam filijs carum reliquir, quam
arculana ciliciis, flagris, aliisque id genus cot-
pori edomando congruis instrumentis, quæ
preciosi instar thesauri ab eis habita, atque in-
ter ipsos distributa fuerè.

Caput XIX.

Gravissimas S. Ludovicus dëmo-
num & hominum patienter susti-
net persecutions.

Magnam sanè pro consequendo bravio su-
pernæ gloriæ, liquet ex his sibi vim in-
tulisse Lüdovicum; sed multò majorem à Sty-
giis monstros, eorumque sustinuit satellitibus,
quò patientia ejus mèritum auctius & corona,
ficeret illustrior. Frequenter etenim aut terri-
bilem ferarum, aut fœdissimorum monstro-

F a r u m

rum specie eum infestabant varijsque modis affligebant cacodæmones; quô vel orantem perturbarent, vel consueta illi pœnitentiæ corporisq; castigandi exercitia impedirent, ut ipsemet aliquando quidam sociorum suorum questus est, dicens: *Obstupesceres si nōsses, quanta quotidie à dæmonibus perpetiar: nunc cellæ pavimento me allidunt, ut manibus pedibusque obniti cogar, nunc me verberibus excipiunt, nunc terrificis spectris occurrunt, nunc horrifono ululatu quævis atrocia minando aures implent, at Deo opitulante confusi tandem abcedunt.*

Cùm in templo cœnobii Valentini noctu quandoq; aqua se lustrali aspergere vellet, horrenda specie dæmon id impedire nitebatur, at sancto viro minimè territo, spectrum evanuit. Maximè verò humani generis hostis in Indiis illi infestus fuit, ubi cùm saepius ad montem quandam se conferret, ut quietius orationi vacare, secretiusque corpus castigare posset, crudelissimè quandoque à dæmonे verberibus cæsus fuit, adeò ut qui à longè eum observabant lamentantem, ac traditorem ut ipsum relinquere increpatem, audierint. Similiter &c in humili sua Tubarensi casa dirùm à dæmonibus vapulavit, pessimèque afflictus fuit, cùm infirmus quidam senex primarius inter suos, sacro Baptismate per eum regeneratus fuisset. Sed his minimè prævalens Orcus,

ne-

nequissimos fatellites suos in sanctum virum concitavit. Invidiæ siquidem admotis facibus quibusdam, qui in tanta illum veneratione esse iniquè ferebant, eò illos adduxit, ut hypocritam, deceptorem & idiotam palam ipsum proclamare veriti non sint. Quæ omnia tanta Ludovicus sustinuit patientia, ut ne minimo signo se ægrè ea ferre indicarit.

At quovis modo concionum illius fructum impedire conante Stygio veteratore, calumniatore in quendam induxit, ut diffamare ausus fuerit, sanctum virum duas ex infideli quadam juvencula suscepisse proles. Quod audiens Capitaneus Franciscus Sanchez adeò excanduit, ut exprobrato impio suo scelere, pugione grave illi in faciem vulnus inflixerit. Sed ubi id rescivit Ludovicus ægerrimè tulit, ac severè Capitaneum increpando dixit, majorem se calumniatore illo peccatorem esse, ac potuisse illum multò de se pejora evulgasse.

Péri modo Inda quædam Marinita nomine, ab Hispano cui concubuerat puniri ea de causa metuente persuata fuit, ut P. Ludovicum velut si vim ab illo passa fuisset, turpiter diffamare non erubuerit. Quæ res cùm latè divulgaretur, plurimos quibus sancti viri innocentia & puritas perspecta erant graviter afficiebat, ipsumque etiam famulum DEI non parum affligebat; qui tamen Domini Salvatoris sui in Cruce pendentis intuitu se consolans,

internum animi dolorem levius ferebat. Verum palam tandem veritatem faciente Marineta, ipsoque culpati suam agnoscente calumniatore, nota hæc facile deleta, fuit. Judice vero acriorem, ut meritus erat, in reum decernente pœnam, vir sanctus omnibus modis eam deprecatus est, ac demum licet difficulter, illi condonari obtinuit. Aegrius autem ferente Ludovici socio tam ehorme scelus, ut justum erat, non puniri, silere eum jussit vir sanctus, dicens: 'Si in omnibus fervandus esset Justitiae rigor, vix in nobis locum haberet Patientia. Eandem invictam animi patientiam, & aliis occasionibus demonstravit. Duo quidam criminum suorum causa ab eo reprehensi, ostium domus ubi morabatur, velut alicuius mala laborantis fama fœdere conspurcarunt. Non latebat qui tali illum injuria affecissent, is tametu nihil ea re mortus, injuriam latenter sustinuit animo. At Deus, cui cura est honor famulorum suorum, graviter in nefarios animadvertisit, alterum subitanea morte, alterum miserabilis aliquot annorum, usque ad vitæ finem puniendo ægritudine.

CAPUT XX.

Affiduæ ferventissimæque S. Ludovici preces.

Cum oratio (ut S. Augustinus inquit) orati subsidium, DEO Sacrificium, dæmonibus

bus flagellum sit; nihil sibi S. Lùdovicus assi-
dua ferventique oratione utilius aut magis es-
se necessarium duxit. Quare diu noctuque
continuò quasi, nunc in genua procumbens,
nunc humi prostratus, nunc corpore erecto
stans, nunc capite ad genua demisso inclina-
tus, vel mentali vel vocali orationi vacabat.
Quatuor siquidem horas quotidie, duas vide-
licet manè ac duas vesperi contemplationi ac
mentali orationi dabat, interdiu quoque di-
midia hora Deiparentis Virginis gaudiis con-
templando inhærebat. Neque infirmus con-
templandi studium intermittebat. Estque a-
nimadversum, quod ab oratione viribus for-
tior vegetiorque redire solitus fuerit. Ut enim
testis fuit F. Joannes Perez, cum subinde adeo
fractis esset viribus ut noctu ad ecclesiam va-
dens parieti acclinare cogeretur, quô debiles
gressus firmaret, rediens alacri incessu nullo
fulcimine indigebat. Preces horarias summa
semper persolvebat devotione, præmissa sin-
gulis precati uncula de Dominica aliquo Pas-
sionis mysterio, ab hac jaculatoria eas preca-
tione auspicando: Rex Christe clementissime, Tu
corda nostra polle, Ut tibi laudes debitas Solva-
mus omni tempore.

Tanto autem spiritus fervore precibus ac
meditationibus sacris intendebat, ut non raro
lucidissimi fulgoris radiis, non solum vul-
tu sed undique totus lumine conspicuus ap-

paruerit. Testis fuit Capitaneus Ferdinandus Bentacurtius quod cum in Indiis sub seram noctem ad ejus accessisset casam, flexis genibus orantem duobus in veste Prædicatoria (ipse S. Thomam Aquinatem, & B. Ambrosium Sansedonium ex imaginum similitudine arbitratus est) ingenti lumine circumdatum conspexerit, nulla face, nulla apparente candela aut lampade. Piures quoque & diversi sancte testati sunt quod aperientes ostium cellæ illius mirum lucis splendorem saepius conspexerint. Quamvis autem quovis loco ferè hujuscemodi luce conspicuus fuerit; frequentius tamen illustriusque ea fulgere visus est cum Missæ peragaret sacrificium. Quin ad eò vehementer contemplationi intentus, mente rapiebatur in Deum S. Ludovicus, ut & corporis in sublime ferretur moles. Rediens aliquando Moncada habita illic concione, reliquo eo qui illi comes erat, campum maturam penè segete luxuriantem intravit, ubi conspici non posset, tantaque animi aviditate cœlestium contemplationi intendit, ut raptus in ecstasim corpore altius ipsa segete, in aëra subleyatus fuerit. Similiter & in Tuberensi sua casa Indi cum stupore à terra sursum elevatum conspexere.

Multis aliis S. Ludovici devotionem cœlum est prosecutum favoribus quos etsi modestiæ causa nemini manifestaret; aliquoties tamen

præ

præ spiritualis gaudii magnitudine celare non potuit, et si vellet. Anno 1579. nocte Dominicæ Resurrectionis Angelica visione recreatus, se continere non potuit quin confidali suo diceret : O Frater , si quas ego mirè pulchras conspexi vidisses aves à cœnobio Patrum Franciscanorum ad nostram hanc advolâsse domū ? Certè solitò erant pulchriores. Eodem anno triduo ante festum S. P. Francisci cùm apud Dom. Salzedo urbis Valentinæ Auditorem, ut vocant , sermo incidisset de mira D. Francisci sanctitate, subjunxit Ludovicus , valde & ego eam suspicio ac veneror : scio etenim nupero festo Archangeli Michaëlis Fratri cuidam Ordinis Prædicatorum odæo exeunti, cum S. P. Dominico occurrisse Seraphicum Patrem Franciscum, cuius ille dextræ pedis stigma exoscultans miro delibutus est gaudio, ac deinde quoque ad S. P. Dominici manus osculum admissus fuit. Suspicante D. Salzedo illum ipsum esse cui is cœli favor obtigisset: Cur ergo, inquit, adeò Rever. V. tristis semper est & mœret, tanto è cœlo dignata favore ? Ad quem vir sanctus : Vel ea ipsa de causa, si mihi obtigisset, magis contristarer. Nec reddita responsi (quam postea socio indicavit) causa discessit. At quando, paucis interjectis diebus conspecta in ejusdem Dom. Auditoris ædibus ad vivum depicta Seraphici Patris imagine, sine arbitrio se esse existimans, auditus est dicere : O pul-

90 VITA S. LUDOVICI,

chra imago ! verè similis est suò prototypo / nihil amplius D. Salzedo hæsitavit ipsummet esse, cui is favor exhibitus fuerit , remque ad Illust. Valentinæ urbis Archiepiscopum detulit. Quo, pro sua quā pollebat apud sanctum virum autoritate, postulante sibi apparitionis veritatem indicari , tam clarè SS. Patriarchas se vidisse fassus est Ludovicus, quād clarè ipsummet videret Archiepiscopum. Alias eidem Dom. Salzedo indicavit, sibi ea dle quā ipsum visitabat Salvatoris nostri è Cruce pendentis ut fuit in monte Calvariae speciem exhibitam fuisse. Alteri personæ admodum devoutæ, mira simplicitate concredidit, hanc auribus suis quandoque allapsam fuisse vocem : Fratet Ludovicè dimissa tua tibi sunt peccata, subitoque visibili specie columbam ori suo inseruisse rostrum ut ex V. P. D. Michaëlis de Vera Carthusiani relatione constitit.

CAPUT XXI.

Intensissimus S. Ludovici erga
Deum Charitatis fervor.

Radiorum, lucis ac splendoris hujuscemodi fontem ac scaturiginem fuisse intensissimum divinæ qua cor illius æstuabat Charitatis ardorem, nemini ambiguum esse potest. Tanto æstuabat Deum amandi eique serviendi desiderio ut sæpè sibi exclamârit; Serviamus Deo amemus Deum : quia bonum Dominum habemus

mus. Cùm supremo vitæ ejus anno titonum quispiam Religionis servò obstringeret: & O si mihi concederetur exclamans dixit, ut modo cùm Fratre illo, voto primùm emisso Deo studiosius servire possem. Divinum adeo celabat honorem ut atrocia quædam in Regno Valentiae admissa scelera à Deo severè castigata inaudiens, vir mitissimus, et si perditorum doleret interitum, summè tamen lætaretur diuinæ servatum ordinem Justitiae. Omnis ejus sermo, omnis actio ad Dei dirigebatur honorem, nulla vel verbiolo facta mundanarum rerum mentione, adeo ut itinerum suorum sociis, & corpore & animo cœlestis ardere vi-sus sit flammæ incendio. Toto vitæ decursu avidissimè ad Martyrij anhelavit agonem, gloriisque Martyris nostri Petri Veronensis exemplo, ubi Dominici Corporis & Sanguinis ter veneranda Sacra menta in Missæ sacrificio populo adoranda exhibentur, affectuosissimè dicere consuevit: Da Domine tuī causa moriar, ut mea causa mori dignatus es. Frequentes etiam erumpebat in has invictissimi Martyris S. Vincentii voces: *Hoc est quod semper optavi.* *Hoc est quod votis omnibus exquisivi.* Maximè autem si ejusdem alteriusve Martyris depictem aliquibi videret agonen: gemens & suspirans nec sine lacrymis hujusmodi ingeminabat exclamaciones. Hoc desiderio, hoc voto Indianum petuit regna, hujus palma: spe

con-

consequendæ nullas infensissimorum sibi quotundam minas, nullas insidias, nullius furor aut iram timuit, neminem feliciorem arbitratus quam qui pro Christo sanguinem fuderit. Accidit ut devotissima quædam matrona desiderio visendi loca sacra, facta ipsi prius peccatorum suorum confessione, Valentia Hierosolymam tendens à Turcis in odium Christiani nominis trucidata fuerit, cuius rei nuntio, extrema infirmitate decumbens, tanta animi affectus fuit lætitia, ut miro cordis tripudio ac jubilo, in hæc verba proruperit: O quam felix! ô quam beata es mulier quæ tantum habuisti Dei favorem! tam insignem obtinuisti coronam! Ah me miserum peccatorem qui tali gratia dignus nequaquam sum! Simili perfusus est gaudio quinquennio ferè ante obitum suum quando nuntium Valentiam allatum est de generoso apud Algirienses agone P. F. Michaëlis Arandiga Ordinis Militaris Dominicæ nostræ de Montesa: unicum siquidem ejus votum erat pro nomine Jesu vitam poneare & dirissima quævis pati. Tanto S. Ludovicus flagrabat amoris divini incendio. Unde B. Nicolaus Factor eum compellans & invocans, *O rosa, inquit, rubicundissima Charitatis, vernans atque fragrans, O Seraph flammigeræ dilectionis divinæ ardentissime &c. ora pro nobis.*

CAP.

Pronus S. Ludovici Charitatis affectus in proximos.

UT Augustinianæ caput Regulæ: *Ante omnia Fratres charissimi diligatur DEVS, deinde proximus, quām exactissimè observaret, nullam S. Ludovicus proximorum, quā corporis, quā animæ saluti subveniendi occasionem pratermisit.* Advertens animæ alicujus periclitari salutem, non modò interno cordis affligebatur dolore, sed & corpus ipse suum ejus causa durissimè castigabat, ardentissimis simul Deum pro illa interpellans precibus. Divinitùs cognito turpi nobilis cuiusdam fœminæ lapsu, cùm ad sanguinis effusionē se flagellâisset, ædes ejus adiit rogans complicē, qui aderat, abscedere jubebat. Quo abscedente ubi post suspiria & lacrymas sancto viro vox rediit: Tua inquit quæ ist hoc loco (manu illū designans) isthoc cum homine perpetraisti peccata, me huc venire coegerunt, ut gravissimam, quā Deum affecistiis injuriam tibi exprobrem. Ad quæ pudore perfusa (cùm & nudatis scapulis quæ ejus causâ subiisset flagella ei monstraret) tanto peccatrix correpta timore tantumq; concepit dolorem, ut animo consternata amarissimas resoluta fuerit in lacrymas. Sed S. Ludovicus divinæ miserationis largitate eam consolans, monet ut in honorem quindecim mysteriorum SS. Rotarii quia-

quindecies Missæ sacrificium offerri cureret, exinde illam à tali peccato præservatam iti prominens. Tum amplius obstupescens mulier (siquidem vero, solum Deo cognito, ad id jam ante obstricta erat) se sancti viri precibus commendat, votoque impleto, nunquam deinceps, etiamsi occasio non decesserit, id peccatum admisit. Aliam pariter quam postquam diu virtutiter impuro solicitatori restiterat, à perpetuando crimen cui consensum præbere decreverat impedivit. Ad quam cum manè venisset, Deus, inquit, tibi ignoscat; tota nocte tui causa vigilius daxi, ne Creatorē tuum eo quod conceperas peccato offunderes. Quibus illa velut fulmine taeta hæsit attonita, totaque vita à peccato illo abstinuit, & abhorruit. Alios priuatum & publicè frustra sèpè admonitos, ingenti refulgens lumine sub nocturna quiete minitabundus apparens, ad meliorem reduxit frugem.

Pauperum, infirmorū afflictorumq; necessitati promptissimo quoque semper subveniebat Charitatis affectu. Graffante pestis contagio, dum præslet cornobio S. Anæ de Albeyda, ipse met cuim fratribus suis ostiatim panem quem pauperibus erogaret emendicavit, liberalissimeque adductis etiam è publicis viis ad cœnobium mendicis, quidquid collegisset distribuit. Audiens complutum fame ac pestis extinctorum sub dio jacere cadavera, consueto Ecclesiæ ritu

ritu ea terræ mandavit. Infirmis quibuslibet tene
rrimo compatiebatur affectu. Omnes quo-
quot inviseret sublevare, confortare sed alio ni-
tebatur. Præter sacrorum Evangeliorum quo-
rundam lectionem cum ad infirmos accederet
S. Vincentij Ferrerij solitus uti oratione qua
plurimos pristinæ restituit sanitati.

Singulariter hic ejus erga infirmos affectus
enituit cum P. M. F. Franciscus Alemanus vi-
ta & religione præstans, non solum Medicorum
judicio, sed Dei quoque decreto morti desti-
natus erat. Nam Deo revelante, in sacri-
ficio Missæ, quod pro eius incolumente offere-
bat, id cognoscens S. Ludovicus seipsum DEO
offerens debitumque illud a se exigi rogans, P.
Alemano diuturniorem vitam & pristinam sa-
nitatem impetravit, & admotis sacris lipa-
nis D. Petri Martyris restituit, qua & multis
post annis gavisus est. Enituit hic quoque illi-
us affectus quando Moncadæ lingua sua, san-
guinolento pure turgidas strumas Speranzæ
puellæ cuiusdam lambendo curavit. Quo fa-
cto & in ecstasi raptus mirè fulgida visus est
facie.

Eodem Charitatis affectu dissidentium tol-
lendis controversiis operam dabat, carceri
mancipatis, supplicio adjudicatis, aliisque easi-
bus oppressis succurrebat, præfectum siquem
iniqua, ambigua aut non satis limpida ex causa
decentum advertisset, sua qua plurimum apud

Ju-

Judices valebat authoritate intercedens , aut liberationem aut supplicii dilationem quo usq; rei veritas patesceret , aut ad misericordiam flecterentur Judices impetrabat.

CAPUT XXIII.

Magno zelo animoque intrepido S. Ludovicus prædicandi munus exequitur.

Tanta Dei proximique dilectione æstuans sanctus vir, non solum privatiū sed etiam publicè Dei zelabat honorem & gloriam proximorumque æternām salutem. Hinc frequentes ubique locorum in quibus coninorabatur aut etiam quæ transiret maximo animatum fractu, ad populum conciones habuit usque ad extremam ex qua decessit infirmitatem. Anno 1580. consules ac cives Setabitani obnixè rogavunt ut per Quadragesimæ dies apud ipsos prædicandi munere fungeretur. Excusavit se plurimum sanctus vir , eò quod fractis adeo esset viribus quæ trinis concionibus habendis non sufficerent. Verum adhuc urgentibus illis ac dicentibus, viribus tantis opus non esse, si modò ambonem consendat, paucula verba familiariter proferat, id satis illis esse, non potuit, non tam piorum desiderio ac petitioni annuere. Profectus itaque eò tantum à Dño virium illi concessum est ut toto Quadragesimæ tempore continuò, ne una intermissa con-

cio-

cione, magno cum animarum fructu, prædicaverit. Quin ijs ipsis diebus quibus extrema cœpit laborare infirmitate, in Cathedrali Valentiniæ urbis ecclesia, Illustrium personarum rogatu pro concione dixerat, ut non immerito & de illo dici possit quod de S. Augustino canit Ecclesia: Verbum Dei usq; ad ipsam suam ægititudinem imprætermissem, alacriter & fortiter, sana mente sanoque consilio in sancta Ecclesia prædicavit. Tanto autem prædicabat spiritus fervore ut non raro vultu radiare, immò totus corruſcare visus fuerit. Concionantem enim Valentiniæ in parochiali ecclesia S. Michaëlis anno 1573. in festo Ascensionis Domini Medicus quidam & facie & vestimentis collucentem, & à pulpito sublevatum se conspexisse testatus est.

Vicia quò magis publica essent ed severius intrepidè arguebat. Cùm in publicum quoddam crimen acerrimè invectus fuisset, quando præcerat cœnobio S. Annæ de Albeyda, nobilis quidam vir, particularia quæ ipse delinquisset ab eo propalata esse, sibi imaginans, illi renunciari jussit, quòd nisi quæ contra ipsum pro concione dixisset, revocaret, se illum neciaturum. Respondit Ludovicus solita mansuetudine, felicem se futurum si ea de causa mortem opeteret. Postero die redeunte ad cœnوبium sahcto viro cum famulo quodam Francisco Mora nomine, eques præcipiti im-

C

petu

perū sclopētum manu tenens in eos incurrit. Famulus, qui cum aliis p̄sens fuerat quando mina illius ad sanctum virum deferebantur, obsecrat ut vitæ suæ consulens à via declinet. At Ludovicus D̄o confisus iter suum prosequitur. Incurrēns itaque in eum eques, truci aspectu, terrifico clamore vociferans, Cur ipsum publicè arguerit, sclopētum exoneratus in ejus pectus dirigit. Nihil his tertitus p̄bi famulus, elevata solūm dextera sclopeto Crucis signum opponit. Et ecce rēni miram, qui sclopeto armatus venerat, Crucifixum, cuius formam armorum id genus induerat, manu se tenere conspicit. Qua re attonitus, equo desiliens, ad pedes S. Ludovici tremens ac stupens procidit, veniam precando, quam & promptè vir sanctus, pavidum ac mōrentem consolans, ei impertijt. At coiniti suo Francisko, pectori illius Crucis imprimeus signum p̄cepit, ne cui hominum quæ viderat manifestaret, nisi (subjunxit) triginta clapsis annis. Et planè sic contigit: Anno enim 1598. dictus Franciscus Mora hujus tam rati prodigijs coram deputatis Commissariis fidei fecit.

Alios duos qui publico peccato aliis maximo scandalo erant, cùm nihil privatim momendo proficeret, publica contione, verbis, dñ suggestum concenderet, divinitus sibi inspiratis acriter adeō redarguit, ut alter furore percitus

citus ipsum è suggestu deturbasset nisi invisibili flamma, quæ etiam postquam domum revertit eum ustulavit, prohibitus fuisset; alter vero in ipso ecclesiæ limine egrediente obtruncasset, nisi benigno astutu viri sancti, mente mutatus fuisset. Nam salute cum impetrare S. Ludovico, corde componctus in genua procidens temerarii ausus veniam petiit & obtinuit.

Alius metuens ne sanctus eis solita libertate in ipsius inveteretur vita, tres diversos misit (quorum nulli quidquam de aliorum constaret intento) ut s. Ludovici observarent dicta. Sed duobus jam templo proximis superveniens tertius aucto rorū notato vulnus: Quid incedimus tristes ait, credo omnibus a nobis una mortis causa est. Fasentibus illis missis se esse ut sancti hujus viti concionem observent, ideoque tristes effundenda & sibi subdidit tertius, inosticiz causa esse. Adeuntes itaque ecclesiam suam ac concionatori aures præbuerunt, ille in hac prorupit verba: Pharisei aduersus Christum Dominum non nisi unum quisiuerat Iudam, male mihi volcas eres quisiuvit. Quo dicto consorti, que in bona sua de sanctissimo Ludovici apitancie confirmati, dolentes quid eis accidisset, illi à quo missi fuerant facti
Iacobus,

Mirè S. Ludovicus dono Prophetiæ excellit.

QUAM multa, quamque ab hominum cognitione recondita S. Ludovico divinitus innotuerint, ex passim memoratis liquet; quia tamen supra modum Prophetiæ dono præcelluit, quædam adhuc strictim attingentur. Nā & futura & præterita & longè remota, velut præsentia cognovit, & intima quoque cordium arcana penetravit. Quare & Seraphica Mater S. Theresia grande illud opus Reformationis Ordinis sui auspiciatura, Ludovici de eo mentem, imò Sp̄ritus sancti ex Ludovico placitum, litteris ad ipsum datis sibi exquirendum esse duxit. Cui ille postquam Deo sollicitius rem commendasset, litteris, quæ etiamnum supersunt respondit: intentionem illius Deo pergratam esse, operi se proinde animosè accingeret Deum illi auxilio adfuturū, foreque ut prius quā quinquaginta laberentur anni, inter illustriores quos habet Ecclesia, ejus censatur Odo. Quo accepto responso, de successu secura, incunctante in sancto proposito persistit ac perexit.

Tribus ejusdem Ordinis Religiosis qui sanctum vitam visitatum venerabat, cum duxisset eos ad cellam S. Vincentii, post trium horarum preces, quis quemlibet manaret vita cursus &

exi-

exitus similitudine arboris tres emittentes ramos perspicue indicavit. Quarentibus eisdem an imago Deiparæ Virginis quæ in dicta cella visitur S. Vincentium allocuta fuerit, ita esse affirmans, addidit, etiam alterum quandam illius cœnobij Fratrem eam allocutam esse. Sed interroganti an non ipsemet is esset, respondit, quisnam is sit sibi dicere licitum non esse.

Anno 1578. ipso festo S. P. N. Dominici sumpto prandio F. Ludovico Primo, qui ei à servitiis erat, lugubri voce dixit: Ah Fr. quæ hodie audivi! Rex Lusitanæ occubuit, & exercitus ejus cæsus est. Videbis vera esse quæ dico. Aliis loquens Religiosis, de fenestraceliaz suæ instructa etiam visa regii exercitus acie, id ipsum se conspexisse retulit. Decem post diebus triste allabitur nuntium, Sebastianum Lusitanæ Regem infeliciter cum Mauris pugnasse ipsumque in acie cecidisse, & exercitum illius dissipatum esse.

Anno 1580. venientem ad se Ducem de Naiara Proregem Valentimum rogavit Ludovicus, quæ illi nuntia essent de valetudine Regis (erat is Philippus II.) respondentे Duce optimè Regiam Majestatem valere; imò, respondit vir Dei, valdè male, opus est ut pro ejus incolumente enixè Deum precemur. Paucis post diebus fama divulgatur Regem gravissima decumbere infirmitate, deque vita il-

illius à Medicis conclamatū esse. Vereum prius quām vel de afflictā vel de reparata Regis vale-
tudine, litteræ ad Prorege in pervenient, S. Lu-
dovicus eidem intimavit Regem ex ea infirmi-
tate superstitem esse, sibique videri quodd alicu-
jus famuli Dei precibus miraculose à morte
præservatus sit. Replicante Prorege: Famu-
lum illum Dei Vestram credo esse Paternita-
tem, graviter vir sanctus turbatus est, talem
sibi attribui effectum. Extant ea de re litteræ
ipsius Proregis ad Pont. Max. Clementem VIII.
datæ Valentia 26. Aprilis anno 1599.

Plurimis aliis jam penè ad extrema deductis,
pristinam proinuit sanitatem, quos inter fuit
etiam S. Franciscus Borgia, quem ex febre aliis-
que symptomatis graviter laborantem invi-
seas, ea infirmitate, quidquid sentirent Medici,
non moriturum prædictit, sed victurum, ac bi-
nos è filiis visurum Matrimonio junctos. Aliis
ut Magistro Jordano sanctæ conversationis sa-
cerdoti, Domino Michaëli Viche Cathedralis
Ecclesiae Valentia Canonico, aliisque, certis-
simò imminentis prædictit mortis horam. Aliis
intima cordium suorum pandit secreta, aliis
oblitia dudumque commissa ad memoriam re-
vocavit peccata. Aliis, ut Domino Hieronymo
Salzedo alterique Regiae Majestati à consiliis
Doctori secretissimas conventiones, abditissi-
maque quæ tractabant, ipsis stupentibus,
manifestavit negotia. Quæ sine participato
divinae

divinæ cognitionis lumine cognosci non posse
tuisse plus quam manifestum est.

Caput XXV.

Varijs S. Ludovicus adhuc mortaliis claret miraculis.

Non solum autem divinæ cognitionis in hac vita, sed & virtutis atque operationis divinæ partipem fuisse sanctum hunc virum, præter memorata, plurima sunt quæ comprebant, sed compendij terminus ea fusiis ut merebantur describi non permittit. Ventos siquidem sedavit & maria, pluviam oratione & propulsavit & advocavit, non in Indiis solum, ut vidimus, sed & in Hispaniis, cum non procul Valencia in loco Torrente nuncupato, summe eam necessariam ab operario intellexisset. Quod eodem in loco fons unde biberat, post eius benedictionem continuis manat aquis, quantumvis vicinorum fontium venæ exarescant. Ignis quoque furorem eadem virtute compescuit. Cum præcesset cœnobio S. Anna de Albeýda, contigit ut excitatus ab opilionibus ignis vehementiore afflante vento vicina dumeta arboreisque & vineas corriperet. Indicatur imminentis periculum S. Ludovico, qui mox accurrens ubi gliscentem videt flammam globum, positis humi genibus post brevem orationem salutiferæ Crucis versus incendium format signum, quo mox illius furor sistitur,

non sine raro prodigo: jam jamque enim ardioris copiam ligni ignis comprehensurus erat. Fuitque hoc admiratione dignum, quod velut in momento flamarum vi repressa, in succensis jam palmitibus, nullum incendii, nisi nigrantis linea indicium apparuerit, ac si scalpro vinitoris amputati forent. Quod prodigium authentica probatione constitit. Varios quoque variis morbis afflictos sanitati restituit. Acutis febribus, complures post recitatas nonnullas preces manu capiti ipsorum imposita, protinus liberavit. E quorum numero fuerunt Franciscus Vaziedo Notarius, Joannes Vincentius Pellicciaius, Hieronymus Vives uxor Domini Francisci Valterra, Violanta Juncar septies sanguine minuta Medicorum opinione indubitate jam jam mortis victima, uxor Antonij Matthaei civis Valentini, aliique. A strumis seu serophulis, præter Sperantiæ Afsensi, cuius supra incidit mentio, solo contactu suo adjunctis quibusdam precibus curavit quoque Sperantiam Monton famulam Domine Violantæ Mediolanensis, Isabellam Abercam, tres proles Joannis Casianionis, Joannem de Huerta, Alphonsum Lopez Victoriensem. Quorum ille Godegliam veniens ubi cum Illustrissimo Patriarcha Archiepiscopo Valentino commorabatur S. Ludovicus, post consuetas orationes jussu Archiepiscopi bene ipsi precante sancto viro, continuò ab illo malo liber nunquam dein-

deinceps illi subiectus fuit; hic vero cum septem annis id mali sustinuisse, oblatio pro eo ad aram SS. Rosarij à S. Ludovico Missæ sacris crificio, ejusdem attactu, lectis sacris Evangeliiis melius coepit habere, ac brevi integrè sa- natus est.

Argentarium quendam cæcum sibi obvium monuit, ut divinæ se Majestati comendaret, cœnobiumque Fratrum Prædicatorum adiret. Quò cum venisset, ejusque oculos prævijs orationibus tetigisset S. Ludovicus, protinus videndi recepit facultatem. Periculose in partu laboranti Franciscæ Ferrerij uxori nobilis viri Michaëlis Benedicti, Antiphonam illam: *Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dulore Salvatorem sæculorum*, chartæ inscriptam appendi jussit cereo in manum dato. Quo facto (quod Medicorum & obstetricum iudicio impossibile videbatur) vivam enixa est prolem, quæ Baptismatis fonte abluta, biduo post animam reddidit cœlo. Multis aliis in partu laborantibus ejus merita & preces salutis fuere. Alios aliis periculis & afflictionibus eripuit. D. Jacobus Ferrerius Gubernator Valentinas duorum sibi concreditorum testamentorum tabulas, sedulò diū quæsitas non reperiens, cottili inops ad sanctum recurrit Ludovicum, qui animo turbatum consolans, in honorem novem mensium quibus Verbum infans in virginali delituit utero, novies quo-

liber die Diparæ Virginis Canticum devotè recitare suasit. Quam ubi ille devotionem auspiciatus est, sancti viri suffragantibus meritis mox altero die deperditas tabulas recepit. Quin ea ipsa die qua ex hac vita migravit S. Ludovicus, Fr. Didacus Ordognez ejus affecti crux attacku, ab ischiade qua ultra sesqui annum graviter afflictus fuerat liberatus est.

CAPUT XXXVI.

Extrema Ludovici infirmitas.

Variis gravibusque adeò continuò ferè affictus est morbis ac symptomatis S. Ludovicus, ut vix unica die, per omnem vitam incolumî gavisus videatur valetudine, ideoque non immeritò cum Apostolo gloriari potuerit in infirmitate sua. Visu & auditu ob frequentiores catharras penè destitutus, vertigi- ni quoque obnoxius fuit. Multis annis excrucibili tibiae vulnera graves sustinuit dolores. Triennio antequam è vita decessit alvi profluvio, cui nullum fuit remedium, adeò exhaustus fuit, ut mortui potius quam vivi hominis referret speciem. Attamen tantus debili corpori mentis animique inerat vigor, ut planè spiritu vivo videretur: nihil siquidem aut de consueto vita rigore, aut de solitis devotionis exercitiis, etiam lecto affixus remittebat. Licet autem non modò Superiores, sed & cognati & amici sancto viro devoti ni- hil

hil omitterent, & præstantissimorum Medicorum adhibita opera, & exquisitissimis cōparatis pharmacis, quò tot malis mederetur, omnia tamen illa non tam remedio aut levatorini, quā cruciatui fuere infirmo. Unde cum lacrymis subinde dicebat: Ah sinamus D̄um agete! Ipsius fieri voluntas. Quique pro aliorum incolumentate S. Vincentij utebatur precatiuncula, in propriis infirmitatibus, illa Augustini usurpabat verba: *Domine, hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas.* Quod sanè ejus desiderium impletum est, indies morborum vi corporisque debilitate adauctâ, simul crescente incredibilis ejus patientiæ merito.

Cùm itaque in festo Epiphaniæ Domini an. 1581. in ecclesia Cathedrali, iterumque Dominica sequente, alio in loco rogatu Magistri Ordinis Dominæ nostræ de Montesa pro concione dixisset, adeò pristina ejus infirmitas aggravari cœpit, ut habendis ultra concionibus sibi vires decesse cognoscens, P. M. F. Vincen-
tio Antistio, quas ipse in parochiali S. Stephani se per Quadragesimam habiturum promi-
serat, conciones detulerit Ingravescente verò aggritudine, cùm sacro muniendus esset Viatico, aderant prætes alios Illust. Patriarcha An-
tiochenus Valentinus Archiepiscopus D. Joan-
nes de Ribera, Reverendissimus D. Episcopus
Marocanus, D. Gubernator Jacobus Ferretius,
quibus coram prolixa facta Fidei professione,

Dei

Dei implorata misericordia, B. Deipara Virgine aliisque longo ordine invocatis Superis, singulariter S. Vincentio Ferrerio (ad cuius invocationem non nihil cunctatus exclamavit: O sancte Pater Vincenti, Pater mi, Pater mi currus Israël, & auriga ejus) mira devotione divinissimum Corporis Domini Sacramentum suscepit. Post cuius sumptionem Illustriss. Patriarcha cum peramanter amplexatus, osleum quem medelæ causa gestabat annulum ejus digito detraxit, suumque revertit ad patiatum.

Recuperavit tamen aliquantò post nonnihil virium Ludovicus, ac quoties per vires potuisset in facello S. Vincentii Missæ peregit Sacrificium. At sub medium Maii denuò graviter infirmatus, acutissimos toto corpore perpessus est dolores. Sub quibus dum lamentantem consolari vellet Illust. Patriarcha frequenter eum invisens, respondit Ludovicus: In veritate, Domine mi Illustriss. nollem quovis terreno bono has commutare poenas: imò confundor tantum mihi à Deo exhiberi favorem, quem neutquam merui, grandis peccator; subjunxitque illud suum solemne: Domine, hic ure, hic seca &c. Quām graviter autem & fame & siti ea in infirmitate, tam rāz vir abstinentiæ, afflictus fuerit, paulò superius insinuatum est.

Affulgente porro recuperanda valetudinis
ali-

aliqua spe, germanus ejus Frater Hieronymus Bertrandus, ut ad nosocomium Clericorum, cuius ipse curam gerebat, deferretur obtinuit. Verum canicularium imminente astu, Medicis consultum existimantibus si recenti captando aëri aliò deferretur, Illustriss. Patriarcha ipsum Godegliam (locus amoenissimus est ad quem Archiepiscopi Valentini animi relevandi causa secedere solent) eum deportari jussit, ubi duorum spatio mensium alter Charitatis, alter Humilitatis alterum studio superare contendit. Reverso autem Patriarcha Valentiam, ob celebrandam Assumptæ Virginis Mattis solemnitatem, S. Ludovicus ad vicinam P.P. Augustinianorum ecclesiam delatus, ne tam sacra die Missæ non interesset sacrificio, maxima diem illum ibidem devotione transegit. Ast Medicis rursus longioris ei vita spem facientibus, contra quam divina revelatione noverat, cum insalubri afflatus aura deterius haberi cœpisset, Valentiam relatus, in memorato nosocomio aliquamdiu apud fratrem suum germanum permanuit, sed Valentini cœnobii Patribus mercuentibus, ne aliena in domo decederet, multo ipsiusmet solatio & gaudio ad Conventum relatus est, ubi mensis adhuc spatio supervixit.

Durante extrema hac ejus infirmitate diversi illius intercessione & strumis curati sunt. Filia Dr. Joannis Boyl de Acca morti proxima ipso

ipso patre intempesta nocte ad decubentem sanctum virum recurrente, sanitati restituta est. Rogatus in Ecclesia Burgiazoti (locus est leuca fermè Valentia dissitus) ut pro Domina Maria Pagliares, quæ insigni eam ornatu decoraverat, preces funderet, nunciari ei iusfit, Deiparam Virginem quæ pro ecclesiæ decoro contulisset remuneraturam esse, ipsamq; brevi vita excessurā, se quoque non multò post secuturum, uti & contigit, matrona illa in festo Assumptionis Dñiparæ vita functa, ipso non integris duobus mensibus superstite.

CAPUT XXVII.

Appropinquante itaque dudum à S. Ludovico præscita, sèpius quoque indicata &c optara die, qua ad perennis vitæ gaudia transiit, multi cum invicibant Magnates aliquique ipsi devoti. Quos inter cùm D. Petras Ludovicus Galceran de Borgia magnus Magister de Montesa, positis humi genibus benedictionem ab eo sibi impertiri postulâset, quanta potuit voce vir sanctus exclamavit : Bone Jesu, quid agis? qui possibile est ut tales te exhibeas erga miserrimum peccatorum? sicq; ambo resoluti in lacrymas insigne præbuerunt humilitatis documentum. Frequens quoque imò continuus quasi ipsi aderat Iustiss. Patriarcha Archiepiscopus Valentinus.

Nonnulli etiam insigni sanctitatem prædicti
divi-

divinitus ad eum visendum admissi fuerunt. Pridie festi S. Dionysii Soror Angela Agulliona, Tertium S. P. Francisci Ordinem professaræ & probatae sanctitatis ; ejus videndi cupida, precibus à Dño obtinuit, ut miro modo visu imperceptibilis ; ad eum in quo decumbebat locum deferretur, ipsoque viso mox ad suas reportaretur ædes. Obstupuit ejus rei causa ipsemet Ludovicus ac in primis Patrem cui infirmorum incumbebat cura, tum verò & ipsum illustriss. Patriarcham, cur fœminis illuc permitteretur accessus interrogat. Admirans Patriarcha, Quibus ait fœminis ? Quis id permisit ? Imò verò respondit Ludovicus, hoc manè fœmina quædam meos deosculata est pedes moxque rursum discessit. Quærente Patriarcha num quid ipsi locuta fuisset ? Neque illam sibi, neque se ipsi locutum fuisse respondit. Quæ audiens Patriarcha satis mirari non potuit, at postera die ab ipsamet Sorore Angela rem ut gesta erat, accepit.

Non minus & illud mirandum. Advenerat sub idem tempus Valentiam infirmus Dominus Petrus Angelus Cernovicius Princeps de Sabiaca Despota Bulgariae, decumbensque non procul Valentia in loco de Torrente nuncupato, cùm post factam exomologesin sumptamq; Eucharistiam à Rectorc seu Parocho loci bono juberetur esse animo Dñoque confidere, qui pristinam illi redditurus fit sanitatem, respon-

spondit Princeps, se à duobus Patribus Prædicatoribus Valentiam ad cubiculum sancti viri Religiosi delatum, mirificèque ab eo consolatum id intellexisse, quod proxima die Dominica moritus sit. Obstupecens ad hæc Parochus, qui S. Ludovico perfamiliaris erat, veniens Valentiam ipsummet interrogat, an visitasset eum Princeps aliquis, illo nil aliud respondentem, quam quod plures eum inviserent, rem Illustriss. D. Patriarchæ insinuavit, quo secretò querente à sancto viro, an non extraneus aliquis illi adfuisset Princeps, respondit eum adfuisse, subjunxitque: Bonus est, probus est homo, & his diebus migrabit ad cœlum. Quod & contigit pridie quam ipse S. Ludovicus migraret è vita. Delatus autem fuit Princeps ille ad S. Ludovicum, à S. P. N. Dominico & S. Vincentio Ferterio, uti P. F. Francisco Ferterio Ordinis Minimorum Sacerdoti, sacratissimo sumptò Viatico fassus est Princeps. Multorum quoque Cœlitum, in maxime S. Vincentii, non semel ea in infirmitate S. Ludovicus recreatus est apparitione.

Biduo tandem ante imminentem ex hac vita discessum suum Extremæ Unctionis Sacramento se muniri petiit, eoque accepto placide in sequentis usque diei vesperam quievit, cum verò valido de repente paroxysmo labrans animam agere existimatus fuit. Sed resumpto spiritu, extremam sibi horam necdum adesse

adesse sciens, Dom. Patriarcham aliosque qui aderant ad sua discedere rogavit. Verum diluculo iisdem rursus presentibus cum aliquo horis in Crucifixum quem manu tenebat defixis hæsiisset oculis Illustriss. D. Patriarchæ indicavit se jam resolvi, rogando ut recitata precatiuncula aliqua, suam ei impertiri dignaretur benedictionem. Quam ubi non sine lacrimis illi Patriarcha impetratus fuit, Cœnobii præside consuetam animæ commendationem prosequente ad illius precationis: *Vt vinculis carnis exutus, per venire mereatur ad gloriam regni cœlestis Eccl. terminum, Cœnobitis respondentibus Amen;* Sanctissima ejus anima caræ soluta est; miro ex ore ejus, cunctis conspicuo refud gente totumque cubile illuminante splendore, ac incomparabilis excorpore ejus se diffundente odoris suavitate. Itaque feliciter ex hac vita migravit. Die 9. Octobris Anno Sal. 1581. etatis sui 55.

Caput XXVIII.

**Quām plurimis mox ab obitu, S.
Ludovici cœlestis reuelatus
gloria.**

Quām Dsō dilecta, quām Cœlo grata Ludovici esset anima, multis statim à felici ejus transitu prodigiose innotuit. Properans ad Prædicatorum cœnobiū, ut in transitu ejus adesset, D. Matthias Paglias Cathedralis

Valentinæ Canonicus sancto viro singulariter devotus, ubi ad cœnobii aream pervenit insolitam cœlo vibrari fulgorem conspiciens rei novitate hæsit attonitus. Sed mox ubi valetudinarium subiit, audiens qualem præsentes ex ore defuncti splendorem prodeuntem vidissent, & ipse quod viderat indicavit. Similiter P. F. Hieronymus Almenara Præsentatus eo ipso momento miræ claritatis lucem supra illius conspexit cellam. Soror verô Angela Ordinis S. Francisci, cuius præcedenti capite mentio facta, paucis diebus ante obitum ejus supra cœnobium Prædicatorum versus sancti viri cellam cœlos vidit apertos. Alia per quam devota, nocte quæ obitus diem præcessit, anima aurea ornatam corona ab Angelis ex eodem cœnobio ad cœlos deportari conspexit.

Fr. Antonius Baglester, qui singularis amoris affectu S. Ludovicum prosequebatur, cum hora transitus ejus, officii causa in ecclesia occuparetur, suavissimos audivit concentus, qui tamen, quod mirum erat, quo essent loco discernere non potuit. Idem Fr. Antonius, Raphaëla Soler aliquique cum funus jaceret in ferebro, miro illud viderunt cingi splendore. Cantus quoque istiusmodi suavitatem, eo tempore se percepisse testata est notæ sanctitatis Soror Dominica Torres Tertiæ Ordinis S. Dominicæ. Sed & alii plures eo vespere quo corpus defuncti ad ecclesiam delatum, & manæ quo sepul-

sepulchro illatum est, & die quo exequæ celebratæ sunt insolitos afferuerunt se audivisse concentus.

Absenti quoque Valentia viro cuidam valde religioso Ordinis S. P. Francisci, eadem nocte quæ obitum S. Ludovici præcessit mira objecta est visio. Cùm enim Matutinali persoluo Officio, pro sancto viro quem extremè decubere acceperat, preces fundere vellet, in medio splendidissimæ è crystallo ecclesiæ corpus illius feretro impositum vidi, quatuor adstantibus Ordinis Prædicatorum Religiosis Patribus, quorum primus, eorum qui ad caput feretri consistebant, miri fulgoris radios ex fronte, alter ex ore emittebat; qui verò stabant ad pedes, eorum alter ex utraque manu, alter palmam tenens, similes ex pectore radios fundebat. Tum duos vidi procedere Angelorum Chorus candidos gestantes cæros, ac cœlesti harmonia cantantes: *Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua, Osanna in excelsis.* Post hæc innumera-ram hominum multitudinem jacentis in fere-tro manus ac pedes deosculantium, accinenti-bus Angelicis Choris: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.* Quo finito Religiosus ille sibi redditus, avidè scire cupie-bat quî ageretur cùm Ludovico, sed quia ob loci distantiam id statim refcire non poterat, annunciate Superiore suo Valentiam se contu-

116 VITA S. LUDOVICI
lit, ibique in modum quem Deus illi revelarat
sancti viri vidit celebrari exequias.

Dubius autem habens num visione Patribus
Prædicatibus indicare deberet, ac cogitans
ea de re consulere B. Nicolaum Factorem, is
nocte sequente eidem apparet, monuit illum
ut quam primum P. P. Prædicatores adiret, &
quæ viderat ac de S. Ludovico sciret eisdem
communicaret. Veniens proinde Deo in te-
stem vocato P. M. F. Vincentio Justiniano An-
tistio, & P. M. F. Hieronymo Baptista de la
Nuza Albarazinensi postea Episcopq, quæ vi-
derat indicavit. Sed & ipsi B. Nicolao Factori
multis vicibus magnifica S. Ludovici gloria di-
vinitus demonstrata fuit. Unde non dubitavit
protinus vel in ipsis exequiis, quibus interfuit
& in ecstasi raptus est Sanctum appellare, &
ut regnante cum Deo invocare Ludovicum,
extatque ejus devotissima ad Ludovicum An-
tiphona & Oratio, quæ non erit abs re ut sub-
jungatur

*De B. Ludovico Bertrando Valentino Ordin.
Præd. Commemoratio.*

Antiph. O proles Valentinae civitatis præclarissima,
O jubar omnium virtutum perfectione ornatum, deco-
ratumque, O rosa rubicundissima Charitatis, vernaus
atque fragrans, O Seraph flammigera dilectionis di-
vinæ ardentissime. O vir verè Catholice & Aposto-
lice. O flosculum florigeræ Dominicanæ Religio-
nis gratissimum & odoriferum. O gemma Sacer-
dotum præfulgentissima. O fili sanctissimi Patris

no-

aestri Dominici legitime Beate Ludovice Bertrande,
divinæ legis amator, ora pro nobis ad Dominum JE-
SUM Christum, qui te in numero Beatorum sanctorum
coronare dignatus est.

¶ Ora pro nobis B. Ludovice Bertrande.

¶ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Presta quæsumus Omnipotens & misericors Deus,
ut qui Beati Ludovici Bertrandi sanctitatem, & vi-
tam gloriosam celebramus, ejus etiam virtutes imi-
temur, & imitando proficiamus & proficiendo ad re-
gna coelestia pervenire feliciter valcamus. Per Domi-
num nostrum Jesum &c.

C A P U T X X I X .

Ingens ad funus S. Ludovici ho-
minum concursus, solemniesque
eius exequiæ.

Delato ad Ecclesiam funere sancti viri, tan-
ta continuò hominum confluxit multi-
tudo, manus ejus pedesque deosculari cupien-
tium, ut ne quid incommodi accideret, necesse
fuerit in Sacristia ipsum reponi, quo usque ad-
cesserent Proregis satellites. Quibus adhibitis
præcipuorum Regni Valentini Magnatum, D.
Christophori de Cardona, Dom. Joannis de
Borgia aliorumque nobilissimorum humeris
ad Ecclesiam relatum, in supremo majoris aræ
gradu collocatum est, circumstantibus & ac-
censas manu faces prætententibus plurimis
Religiosis, submoventibusque inconditam
plebis turbam satellitibus. Tum verò univer-

118 VITA S. LUDOVICI,

sus primum adfuit Cathedralis Ecclesiae Clericorum, consueto rito & cantu funus prosequens, quod ipsum & duodecim Urbis parochiarum, & cunctorum Valentiae Religiosorum praestitum Conventus. Sed ob maximam hominum turbam, denuò corpus ad Sacristiae locum referri debuit, ubi illud Valentini Regni Prorex, cum confratre & liberis aliisq; quamplurimis manus ejus osculando veneratus est; tenuitque ea populi devotione in tertiam (id est nonam nobis) horam noctis. Demum singulis suos repeatentibus lares quo perpetuò Valentini Conventus Patribus viva illius ob oculos versaretur virtutum imago, ejus effigiem coloribus artifici pictoris manu exprimi curarunt, juncto Crucifijo adscriptoque hoc ejus solemnii. Domine hic non parcas ut in æternum patcas. Fuit autem, ut memorant, statura procera, facie oblonga & macra, naso aquilino, capillitio nigro canis jam resperso.

Postera vix illucescente die, prius quam appearirentur ostia templi, maxima denuò hominum multitudo funeris videndi & venerandi studio confluxit. Quorum ut devotioni satisficeret in eminentiori, attalicis cooperto, ut ab omnibus conspici posset, collocatum est pegmate, circumstantibus Religiosis, qui vel manus accedentibus osculandas praebarent, vel Rosaria aliaque huiusmodi sacro corpori admoverent. Fuitque tantus devoti populi ac-

cur-

cursus, ut totum antemeridianum tempus ad hæc non sufficerit. Unde cum solemni peracto sacrificio Missæ corpus sepulturæ loco inferendum esset, tam lamentabilis excitatus est populi clamor, ut omnino sedari nequiverit. Patribus tamen ita consultum judicantibus, nequicquam vociferante & reclamante multitudine, satellitum conductu viam faciente, quam citissimè fieri potuit, funus ad locum sepulchri delatum est. Ubi sancto suo amicō postremū occurrens Illustriss. Patriarcha non sine lacrymis illum adhuc amplexus est. Sed non cessante importuno populi clamore sepulturæ officium ritè compleri non potuit, ut proinde necesse fuerit, cryptæ qua funus reconditum, gravi imposito cippo, illud in vesperum differre.

Sub noctem itaque, obseratis cœnobii foribus, intromissis solùm Reverendiss. P. M. Maldonato Generali Ordinis de Mercede. D. P. Laurentio Zamora, Carthusiæ Porta-cœli dictæ Priori, paucisque aliis debito ritu sepulturæ officium peractum est, eo loci depósito funere ubi B.M P.M. Joannis Micon. B. Michaëlis à Fabra aliorumque qui sanctitate & miraculis corruscarunt quiescebant corpora. Descendentibus verò ad tumbam quatuor Religiosis, ut Rosaria, annulos, cimelia à devotis hominibus commissa, sacro corpori admovebant, adhuc sicut ante, cùm in templo exposi-

tum esset funus, facies apparuit Angelico-decora nitore, manus pedesque candore certare cum alabastrite, omniaq; corporis membra velut vivi hominis flexibilia esse.

Biduo post in Ecclesia Prædicatorum, ita volente Archiepiscopo, ea qua Illustriorum Hispaniæ Principum celebritate & magnificientia Ludovici celebratæ sunt exequiæ, toto præfente urbis Valentiniæ Clero. Solemnissimæ crifciæ Missæ cæterosque ritus peregit Reverendiss. D. Michaël de Spinosa Episcopus de Maroco. Concionem funebrem habuit ipse met illustriss. Patriarcha Archiepiscopus Valentinus, sed quia præ confertæ multitudinis strepitu audiri vix poterat pauca locutus, suggestu descendere compulsus est; S. Ludovico humana voce laudari adhuc forte recusante, ac Deo disponente ut divinæ potius honoraretur operatione virtutis quam humanæ eloquentiæ verbis.

CAPUT XXX.

Innumeris S. Ludovicus ab obitu suo coruscat miraculis.

Tot tantisque vita functus protinus cœpit coruscare miraculis S. Ludovicus, ut summi illum apud Deum meriti esse, nemini non esset perspicuum. Nam etiam antequam ejus sacrum corpus sepulturæ traderetur; variis variis laborantes affectibus ad ejus contactum

curati sunt. Isabella Salome uxor Antonii Pérez ab infancia fere laborans incurabili fistula, cum trina vice manu defuncti affectas collì partes Cruce signasset planè sanata est. Gaspar Gari Subdiaconus à quinto usque ad quadragesimum quartum aetatis suæ annum constitutus sensu odoratus, cum vivente Ludovico obtinere non potuisset ut ejus oscularetur manus, defuncti osculata manu gravi quem naribus exhalabat foetore sublato, odoratum recepit. Vincentia Josepha Burdeus duxteri orbata oculi visu, cum ad osculandum Ludovici manum ob turbæ compressionem proprius accedere non posset, manu tantum sua corpore attacto, eam affecto oculo imposuit visumque recepit. Alia gravi capitis, alia stomachi dolore, alia trienni sanguinis fluxu, alia febribus, aliæ aliis infirmitatibus sacri corporis attracta liberatae sunt.

Post conditum verò sepulchro funus, inde es miraculis adeò crebrescentibus ut ultra quadraginta infra anni spatium evenisse memoret R. P. Balthasar Rocca, decretum est sacram corpus ad honoratiorem locum transferendum esse. Quod & approbante Illustriss. Archiepiscopo Valentino, ipsomet præsente factum est, anno 1582. festo Annunciationis B. V. die 25. Martii, sexto à felici illius transitu mense. Repertumque est sacram corpus non modo incorruptum sed & incomparabilis fra-

grantiz spirare odorem, ut supra memoratum est. Magna itaque ut par erat Veneratione à P. M. Provinciali F. Joanne Loazes, cum P. M. F. Francisco Alemano Priore, M.F. Joanne Vitali & Vincentio Justiniano è priorc sepulchro in lapideum monumentum (quod D. Jacobus Bertrandus sancti viri frater germanus fieri curaverat) illatum, in eodem decenter conditum est, novo indutum Ordinis habitu. Prior etenim particularim divisus, uti & capuli afferes, pro sacris Reliquiis hominum devotioni cessere.

Præcisi quoque fuerunt tres ab una manu, & unus à pede minimus digiti. E quibus unus, quo plura fuerunt patrata miracula, servatur argento inclusus in Sacristia Cœnobii Valentini, ad solarium & subsidium infirmorum, alter pro munere cessit Michaëli Bonello ex Ord. Præd. Cardinali Alexandrino, nepoti Pii V. alterius pars Sereniss. Infantii Isabellæ Eugeniæ Claræ Austriacæ, cùm anno 1586. Valentia adesset, pars D. Guiomariæ de Moncada filiæ Marchionis de Aytona; digitus verò pedis à D. Petro Zurate Inquisitore sanctimoniali nepti suæ datus, in cœnobio quodam Regni Castiliæ servari scribitur.

Innumeris porrò aliis Deus sanctum suum Ludovicum, & deinceps fecit corruscare miraculis. Plurimis enim à quibus in vota vocatus fuit, quandoque S. P. Dominico, quan-

do-

doque S. Vincentio, quandoque utroque, nec non B. M. Joanne Micon comitibus, conspicuus apparuit, & vel pristinæ eos valerudini restituit, ut Michaële Pons anachoretam, Hieronymam Julianam uxorem Jacobi Calder, Hieronymum Cardiglias aliosque & alias; vel quid animæ eorum saluti expediret edocens ad cœlestis vitæ gaudia invitavit, ut Matrem Reverendissimi D. Josephi Stephani Episcopi de Osiugela, Nobiliss. Equitem Guilielmum Raymundi Catalanum; vel de eminenti gloria sua dubios, certiores reddidit, ut Ursulam Claram Ayossem Tertiæ Ordinis S. Francisci, cui candito nigroque habitu pretiosis undique gemmis ornato suavissimamque diffundente odorem apparens, tangendo ejus frontem dixit: Nunc credes quis sim? & hoc dicto disparuit.

Multi quoque sacrarum Reliquiarum illius contactu à variis infirmitatibus liberati sunt. Philippus III. Hispaniarum Rex ab infantia diu quadam laborabat infirmitate, à qua ut meritis S. Ludovici sanaretur Sereniss. ejus parens Philippus II. cùm an. 1586. visitasset sepulchrum sancti viri, ex habitu illius filio suo parvum fieri petiit & obtinuit scapulare; cùmq; lapsu temporis Valentini Cœnobii Prior, prius usu lacerū aut consumptū existimaret, aliud ei denuò Madritum destinavit, quod ubi gestare cœpit melius quoque cœpit habere, ac demū perfecit ab ea infirmitate convaluit. Pro quo ob-

obtento beneficio ut se gratum exhiberet ; quām primum ad Regni gubernacula sedit de referendo Ludovico in album Sanctorū litteras dedit ad Clementem VIII. sēpiusque idipsum iteratis litteris ursit.

Aliis quām plurimis ejus contactu Rosarij, aliis ejus cinguli, aliis fasciæ lineaæ qua cruris sui vulnus extersit (quæ & suavissimum spirabat odorem) pristina restituta est sanitas. Sed & imagines illius nonnullis ad recuperandam sanitatem profuere.

Multis etiam fons haud procul Valentia mæniis, loco Rusafa dicto, cui dum viveret benedixit, per quām salutatis fuit. Cùm urgente quodam amicorum aliquando deambulatum iret, sitisque (qua propter infirmitates varias continuō affligebatur) sedandæ causâ, ad fontem accederet, & prævia benedictione ex eō biberet, videns ibidem operarium infirmum Petrum Ximenum nomine, quæsivit ex eo Ludovicus quo morbi genere affligeretur, respondit ille, à sex mensibus se febri laborare. Bibas itaque, ait ad illum Ludovicas ex hac aqua. Nequaquam subjungit alter: id enim mihi nocivum esset; demum tamen persuasus hauustum aquæ sibi non nocitum, bibit ex ea, ipsoque momento convaluit. Quæ res ubi in vulgus emanavit, quām plurimi variis afficti morbis ad fontem hunc convolarunt lotique ex eo, hæmioſi, cæci, claudi curati sanati sunt ; potu quo-

quoque hausta ejus aqua paralyſi, febribus aliisque morbis conflictatis, ope sancti viri invocata, sanitatem reddidit, uti Romaniæ Auditribus Rotæ probatum fuit. Accessit & illud, quod licet fons cum S. Ludovicus ei benediceret modicū contineret aquæ, ariditate facillimè absumendū, deinceps tamen nunquā manare desierit. Denique & diversi vita functi S. Ludovici intercessione in vitam revocati fuere. Neque hæc solùm Valentia sed & variis aliis locis ad manifestandam famuli sui Ludovici gloriam divina operata est Bonitas.

Caput XXXI.

S. Ludovicus annumeratur
Beatis.

Cum adeò crebris insolitisque prodigiis, excellens Ludovici comprobaretur sanctitas, indies crescente populi erga eum devotione, Jurati Civitatis Valentia Illustriss. suum Archiepiscopum supplices rogarunt, ut legitima accepta informatione, & formato processu de vita & miraculis beati viri, pro ejusdem Canonizatione Apostolica requireretur Sedes. Admisit lubens has eorum preces Archiepiscopus, commissoque negotio Reverendiss. Episcopo Marocensi, biennij spatio facta inquisitione, tam solida sanctitatis vitæ, tamque indubitate plurium miraculorum coeperta sunt argumenta, quæ pluribus in album Sanctorum referendis sufficerent.

Con-

Constituuntur itaque anno 1584. qui Summo Pontifici Gregorio XIII. causā exponant, sed licet īs cūm gaudio acciperet, quæ Deus per famulum suum mira operatus esset, prius tamen vita excessit quam operi manum admoveret, Cui simul ac successit Sixtus V. Rex Hispaniarum Philippus II. per Illustriss. D. Henricum Guzman Comitem de Olivarez Legatum suum, eandem causam ipsi proponi jussit. Quod ut factum est pridie festi S. Ioannis Baptiste anno 1586. id effectum est, ut maturo præhabito consilio examen processus Sex Cardinalibus ex Urbe, & tribus Prælatis ex Regno Valentia, Archiepiscopo nimicrum Valentino ac Dertusensi & Terulensi Episcopis, commissum fuerit Brevi Apostolico 8. Iulij 1586. Pontificatus ejus anno secundo ad eos dato, in quo Pontifex scribit, crebris litteris, aliisque diversis attestationibus sibi expositum esse, quod Civitas Valentina benedicente Domino per magnum & uberem afferens fructum bonæ memoriae Fratrem Ludovicum Bertrandum, dum in humanis ageret, Ordinis Prædicatorum Professorem, virum non solum S. Vincentio Ferreiro, in dicta urbe orto, jam dudum Sanctorum numero adscripto, sanguinis cognatione; sed etiam officio pietatis & illius vitæ imitatione conjunctum habuit, qui cūm anno Domini 1581. die 9. Octobris obiisset in Domino, adeo maximam in Hispaniarum Regnis, & novi Orbis regionib[us] in-

in quibus verbi Dei prædicandi munere functus est, suæ virtutis ac pietatis admirationem reliquit, ut illarum partium hominibus persuasum sit jam cœlestia præmia consecutum. Quamobrem per Sanctitatis suæ odorem longè latèque hinc inde diffusum, & dum in humanis ageret, & post ejus obitum religione & devotione ducta multitudo magna ad corpus eius in visendum & venerandum accessit, ut piè creditur exoratus Altrissimus dicti Ludovici meritis & intercessionibus quam plurima & diversa & operari miracula dignatus est &c.

Illi itaq; accepto hoc Brevi, muneri suo sedulò satisfacere cupientes, legitimè ac ritè formatū processum quam primū Romani miserunt, quem & Sanctitas sua 15.Iulii 1589. per Congregationis Rituum Præfectos aperiri & examinari jussit, diligenterque & accurarè examinatum, referente Cardinale Gelualdo 21.Martii 1590. approbans decrevit ut ad ulteriora procederetur, litteræq; Remissoriales & Compulsoriales ad partes expedirentur.

Sed interveniente Sixti nec non brevi post Urbani VII. Gregorio XIV. ac Innocentii XI. obitu, res in quartum annum Clementis VIII. dilata est, cuius jussu instantissimè urgente Rege Catholico rursum Archiepiscopo Valentino & tribus aliis Episcopis commissione data amplissimus formatus est processus (in quo ducenti nonaginta & unus fide digni testimoniū

nim dedere) quem doctrina & virtute integritate clarissimus P. M. F. Ludovicus Ystella institutus Canonizationis S. Ludovici Procurator Regiis una cum litteris Philippi III. anno 1599. Suę Sanctitati obtulit. Verum licet Clemens Pontif. causam Cardiuali Gesualdo supremo Congregationis Rituum Commissario commendaret, communibus tamen Hispaniae votis minimè satisfactum fuit, quidquid etiam ipsum Cardinalem litteris urgeret Rex Catholicus qui anno superiori sc. 1598. patri in Regno successerat.

Tandem tamen Sedente Summo Pontif. Paulo V. à S. Rituum Congregatione 1608. die 19. Martij decretum, posse concedi ut *F. Ludovicus imposterum Beatus nuncupari possit*, deque ipso tanquam de Beato in Civitate & Regno Valentiae Officium & Missa sicut de uno Confessore non Pontifice anniversario ejus obitus die à Fratribus & Religiosis utriusque sexus Ordinis Prædicatorum licite ac liberè recitari possit ac valeat. Quam sententiam Congregationis Sua Sanctitas die 21. Aprilis ejusdem anni approbavit, atque auctoritate Apostolica quæ Congregatio concedenda decreverat concessit Brevi suo 29. Iulii ejusdem anni.

Quibus Apostolicis acceptis litteris ingens ac per magnifica Valentiae est instituta festivitas; sed indies magis magisque ubi vis locorum crescente hominum erga B. Ludovicum de-

votione instantissimè denuò postulante Regis
Catholico nomine totius Regni Valentiae &
Universæ Religionis Dominicanæ ac Princi-
pum Flandriæ, idem Pontifex, prævia discussio-
ne ac determinatione S. Congregationis Ri-
tuū die 25. Mensis Octob. 1610. indulxit & co-
seffit ut de dicto B. Ludovico Bertrando per uni-
versum Orbē à Fratribus & Religiosis utriusq; se-
xus Ordinis Predicatorū Officiū & Missa recitari
& celebrari possit & valeat in Civitate Valentiae
etiam ab omnibus secularibys & regularibus &c.

CAPUT XXXII.

S. Ludovicus solemnni Canoniza-
tionis ritu Sanctorum Catalogo inscribitur.

UT autem supremus tandem ab Ecclesia B.
Ludovico decerneretur honor, et si ab an-
no 1615. sedulò aliquoties actum fuerit, præ-
fertim 1621. & sequenti, urgente etiam pater-
norum Regnorum pietatisque avitæ hærede
Rege Catholico Hispaniarum Philippo IV. di-
versis tamen ex causis, retardata, causa primum
reassumpta fuit 1660. ac demum 1667. di-
scusso in S. Rituum Congregatione dubio de
relevantia novissimi processus Valentiae com-
pilati terminata, Declaratione quæ subditur:

V A L E N T I N A.

Canonizationis Beati Ludovici Bertran-
di Ord. Prædicatorum.

Dicitus nunc demum dubio ad formam

130 VITA S. LUDOVICI

novissimorum Decretorum Sanctissimæ Inquisitionis per Eminentiss. D. Cardinalem Gualterium. An constaret de relevantia novissimi processus Valentia compilati, super his quæ supervenerunt post indultam Beato Ludovico Bertrando venerationem, Sac. Rituum Congregatio habita coram Sanctissimo quatuor Miracula approbavit intercessione ejusdem Beati ad indicandam illius Sanctitatem ab Omnipotenti Deo mirabili in servis suis, præter naturæ vires, seu ordinem operata, nempe :

Præservationis ejus Corporis à corruptione, quamvis in loco alluvionibus obnoxio, non exenterati, aromatibus & balsamo inconditi, cum intestinis ipsis adeò ad corruptiōnem proclivibus humo traditi; integri tamen, articulati & tractabilis sexaginta annorum circulo asservati.

Præservationis à morte seu subitæ sanationis Aloysij Vincentij Montesinos bimi febri valida, vermibus, dissenteria, & vomitu diuturnis, costulis jam stomacho connexis ac syncope correpti. nec non

Gesualdæ Gil de Ramirez pueræ quadrennis, à sex mulis raptantibus currum carbone onustum ponderis quatuor mille librarum humi projectæ & sub duabus rotis adeò compressæ supra caput, collum, & humeros, ut inibi clavorum rotarum vestigia impressa cernerentur.

Sub-

Subitæ tandem sanationis Bartholomæi Christophori Dominguez herniâ adèò deformi laborantis, ut scrotum cùm genuflecteret humum attingeret, eum inde emitentis factorem, ut abdomina corrupta, & scrotum ulceribus erosum patescerent.

Quapropter Sac. eadem Congregatio declaravit plenissimè satisfactum fuisse novissimis Decretis, & proinde quandocunque libuerit tuto posse procedi ad solemnem ejusdem Beati Ludovici Canonizationem juxta Ritum S. R. E. & Sacrorum Canonum dispositionem, eumque cum Deo regnantem in cœlis Christi fidelibus indicare Sanctorum Cultu colendum. Aliis præterea decem & octo miraculis ante indultam venerationem securis & articulatis, sed ab ipsa Sac. Congregatione sedente olim san. mem. Gregorio X V. post concessionem Cultus formiter discussis & approbatis, pariter admissis, & comprobatis.
Die 4. Octob. 1667.

M. Episc. Portuen. Card.
Ginetus

Loco  Sigilli

Bernardinus Casalius Sac;
Rit. Congr. Seqr.

Hac facta declaratione nihil nisi ipse Canonizationis restabat actus, qui tamen quo solemnior, quo gloriosior esset, placuit Altissimo, placuit & S.D.N. Clem. X. unà cù Ludovico Valentino, Sanctorum fastis inferre Rosam Limanam, illum quidem (ut in Encyclica sua 9. Octob. 1670. data scribebat Rev. P.M. Generalis Ord.) velut Occidentalium Indiarum verè shaumaturgum Apostolum, hanc vero seu primum ex iisdem Occiduis Indiis fructum amœna Sanctitatis. Iamque dies tam sancti, tamque solemnis Ritus dicta erat proximum Pascha Dominicæ Resurrectionis. Verum (ut idem Reverendiss. Pr. alia sua Encyclica, qua & Indulgientiæ quæ Missæ votivæ de Rosario concessæ sunt intimantur, universo Ordini significavit) Et ipsa negotii gravitas, & vastorum apparatus multiplicitas effecerunt quod paululum ulterius, nimirum in Dominicam primam post Octavas Paschatis (qua Boni Pastoris Evangelium recurrit) hec plurium Sanctorum splendidissima Apotheosis fuerit proroganda. Ea itaque die quæ fuit Mensis Aprilis 12. huic celeberrimo Ritui, ut auspiciatissima sic & aptissima Boni Pastoris nostri Paterna Clementia universum militantis Ecclesiæ caulam & in ea præter trium aliorum celeberrimorum Ordinum, etiam pusillum nostri Ordinis Gregorii hoc novo Sanctorum jubilo lætificavit. Quod idem est P. Reverendiss. optimus & ille vigilissimusq; Pastor universo suo Gregi intimare non distulit subjuncta hac Encyclica.

F. JOAN. THOMAS DE ROCABERTI

Sac. Theol. Professor, totius Ordin. Prae-
dicatorum humilis Magister Generalis
& Servus.

*Universis eiusdem Ordinis Religiosis Patribus,
Fratribus, ac Sororibus novum gaudium de
multiplicitate glorie*

S A N C T O R I U M.

LÆtamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam , gaudete cum ea gaudio universi, replacmini ab ubere consolationis ejus. Quidni? en pulchra & casta Ordinis nostri generatio cum claritate , Sancti inquam, LUDOVICUS & ROSA jam apud Deum nostra est, & apud homines; jam tandem sub augustissimo Canonizationis ritu usque ad aras Vaticanas eduxit se, & in perpetuum coronata triumphat. Nempe duodecima Mensis hujus floridissima die in ipsum, & aliorum trium Sanctorum gloriam colluxit infinitis lumibus Romana Principis Apostolorum Basilica , plauferunt integræ horæ jucundo undequaque sonitu campanarum cymbala , Urbs tota festivis ignibus noctem vertit in diem, non vicus, non domus, non fenestra tantæ lætitiae exfors fuit. Nobis tamen in hoc communi jubilo id peculiare ac magnum est, quod in isto quatuor

Religiosorum Ordinum solemnissimo concursu, dum in singulis eorum Sanctis glorificabantur singuli, duplicitam unico nostro Ordini admensus est gloriae coronam, ille, qui dividit singulis prout vult. Unaquaque harum Tribuum de sua sibi gratuletur portione. At Joseph duplarem funiculum habet in suis LU DOVICO & ROSA. Inter praedictas Religiosissimas Familias nostra quidem annosior est, at neutquam effeta, quin imo gemellis fratibus comparuit ut mater honorificata. Ergo Charissimi in Christo Filii ac Filiæ, repleamini ab hoc ubere consolationis eius, congratulemini huic fecunditati Matris Vestrae qui diligitis eam, gaudete cum ea gaudio universi, quodque alius quidem Encyclicis hortati sumus, ubique agite diem istius lætitiae in hymnis, & canticiis, in tympano, & choro, in Panegyricis, ac cymbalis benesonantibus, in cultu, & apparatu, qui tam fausti nuntii geminatæ respondeat felicitati.

Vobis quidem in publicum, ac privatum hujus devotionis stimulum nostra sufficeret Paterna commonitio, verum insuper S. D. N. Clemens divina providentia Papa X. ut vere affluit miræ in vos clementiæ paternis visceribus, ad eandem novo singulos beneficio dignatus est invitare: siquidem nuper 23. Martii cum Sanctitati suæ humillimas ageremus gratias pro constitutione diei, qua Beatos no stres

stros LUDOVICUM BERTRANDUM, & ROSAM de S. Maria in Sanctorum fastos referre palam decreverat, supplici nostræ petitioni benignè annuens, pro vestro singulorum, & omnium spirituali solatio universis nostræ curæ subiectis Utriusque sexus personis, etiam Tertiariis nec non Confraternitatum nostrarum SS. Rosarii & Nominis Iesu Consodalibus Apostolicam suam largitus est benedictionem, unicuique horum, & parum adjecit plenariam indulgentiam pro mortis articulo, & quotquot accepta præmemoratae Canonizationis notitia specialiter ad Sanctorum nostrorum LUDOVICI & ROSÆ honorem instituerint sacrâ exomologesi prævia devotè refici SS. Eucharistiae vivifico Sacramento, Deoque gratias agere pro illorum inter Sanctos adscriptione, indulxit facultatem pro illa vice eligendi Confessarium qui ipsos generaliter absolvat ab omnibus peccatis, censuris, irregularitatibus, & casibus etiam Romano Pontifici alias reservatis, ac plenariæ simul indulgentiæ lucrum acquirant. Nobis vero ut hæc per totum Ordinem denunciemus, injunxit, prout hæcum tenore facimus, mandantes ubique peculiares ob hoc orationes fieri pro felici statu S. Matris Ecclesiæ, prospero regimine suæ Sanctitatis, unione, & concordia Principum Christianorum, Orthodoxæ fidei propagatione, excidio hæretorum, ac spirituali incremento nostræ Religionis.

Porro hac simul occasione vobis notificamus ex ejusdem S. D. N. placito festum annum S. Virginis Rosæ deinceps 30. die mensis Augusti, festum vero S. Ludovici BERTRANDI die 10. Octobris fore celebrandum, ideoque festum S. Brunonis Confessoris ad diem 6. Octobris esse retrahendum.

Neque hic cessavit cumulandis in nostrum Ordinem beneficiis assueta manus Clementissimi Pastoris, quin etiam ad honorem S. nostri Raymundi de Pennafort anniversarium hujus festum (quod imposterum die 23. Ian. uniformiter ubique intra, & extra Ordinem celebrari jubetur) extenderet, cum præcepto ad Universum Clerum Secularem, ac Regularem, illudque cum propria sua Missa respectivè Calendario, Missali, ac Breviario Romano intermandaret; prout in speciali Decreto, quod seorsim in typis hic accludimus, novo cum solatio perspicietis, quod etiam locorum Ordinariis ubique, ut par est, exhibeat.

Ulterius quoque progressa ejusdem S. D. N. benigna in nos munificentia concessit Ordini universo quotannis die 27. Mensis Novembris Missam, & Officium recitari de nostra B. Margarita à Sabaudia Moniali Vidua juxta commune unius, nec Virginis, nec Martyris. Proinde meminerint nostri hujus Beatae Nomen ac festum pro die supradicta ubiq; inscribere proprio Ordinis Martyrologio sub hoc

unit.

uniformi tenore. *Alba in Pedemontin B. Margaritæ Ordinis nostri ex Regia Stirpe Ducum Sabauidæ Festum totum duplex, cum memoria per Octavam in Laudibus & Vesperis.*

Denique ordinamus, atq; præcipimus, quod in Oratione, seu Collecta minoris Officii Concede quæsumus Omnipotens DEVS, ut ad meliorem vitam &c. deinceps hoc Ordine Sancti nostri disponantur, ac recenseantur. Petri, Antonini, Thomæ, Vincentii, Hyacinthi, Raymundi: Ludovici, Alberti, Ambrosii, Iacobi, Catharinæ, Rosæ, Agnetis, & Margaritæ exempla nos provocent &c. Quin & nunc post Ludovici ponendum Gundisalvi.

Confidimus autem, quod provocabunt, quod jugiter sui memores excitabunt, quod languore spiritus qui apud nonnullos intepuit, fervidius accendent, ut eorum actus imitemur, perque domestica tot Heroum, ac Heroinarum vestigia, merita, patrocinia, multuplicatis intercessionibus ad eorundem mereamur pervenire societatem. Hoc Vobis dilectissimi Filii, & Filiæ precamur ex animo, dumque in id uicium omnia studia nostra collimant, Vestris orationibus Nos unà cum Sociis enixe commendamus. Romæ 29. Aprilis 1671.

F. Jo. Thomas de Rocaberti
Magister Ordinis

Registrata pag. 26.

F. Leonardus Hansen, Magister
Provincialis Angliæ.

P. S.

**Post hæc S.D.N. Clemens X. ex
occasione Universaliori , qua in fastos
Sanctorum retulit quinque Sanctos , Cajeta-
num, Franciscum Borgiam, Philippum Benitium , Lu-
dovicum Bertrandum , & Rosam Peruanam , denuò
thesauros novarum indulgentiarum aperuit, nobisq;
pro earum ampla participatione supplicantibus
concessit, ut sequitur.**

I.

MAgistro Ordinis quinques mille, quas possit di-
stribuere ipse, ac distribuendas committere.

II.

Singulis nostri Ordinis tum Provincialibus , tum
Vicariis Congregationum quadringentas, quas ipsi-
met per se distribuant.

III.

Singulis nostrorum Conventuum, seu Prioribus, seu
Vicariis in capite ducentas per ipsos distribuendas,

IV.

Unicuique nostri Ordinis Regulari , seu Fratri , seu
Sorori etiam tertiae Regulæ intra Italiam centum, ex-
tra Italiam ducentas, pariter distribuendas.

V.

Utriusque sexus Consodalibus nostrarum Confra-
ternitatum SS. Nominis Jesu, & Rosarii unicā singulis.

VI.

Unicuique nostri Ordinis Parocho in partibus In-
diarum, qui Sacra menta ministrat Indis recenter ad fi-
dem conversis, ut possit cuilibet horum nunc viventi
impertire unicam ex istis indulgentiis.

VII.

Apostolicis ejusdem Ordinis Missionariis nunc in
Re-

Regione Chinorum , & Japoniarum laborantibus ut similiter ex his indulgentiis possint impetrare cuilibet per ipsos ad fidem Catholicam converso vel per eosdem convertendo.

Tenor verò istarum Indulgen- tierum est iste.

I.

Quisquis ad minus semel in hebdomada solet recitare Coronam Domini, vel B. Virginis, aut Rosarium, ejusve tertiam partem, vel officium divinum, aut parvum de B. Virgine, aut Defunctorum, aut septem Psalmos pœnitentiales, aut Graduales, aut consuevit invisere Carceratos, aut subvenire pauperibus, aut saltē per quadrantem horæ vacare orationi mentali : si confiteatur alicui Confessario per Ordinarium approbatō, aut communicarit in aliqua festivitate Domini, vel B. Virginis solita per Ecclesiam celebrari, videlicet Natalis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi ; Item Conceptionis, Præsentationis, Nativitatis, Visitationis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis B. V. aut in Nativitate S. Ioan. Baptistæ, in die SS. Apostolorum Petri & Pauli, vel in festo unius ex prædictis quinque Sanctis novissimè Canonizatis, aut in Omnium Sanctorum, vel in Dedicatione propriæ Ecclesiæ, seu ejusdem Tituli, vel Patroni ac devotè oraverit pro extirpatione hæresum, propagatione Catholicæ fidei, aliisque S. Matris Ecclesiæ necessitatibus, pro qualibet vice consequatur indulgentiam plenariam.

II.

Quisquis jejunaverit in Vigilia cuiuslibet ex supradictis quinq; Sanctis, & confessus comunicaverit in festo ejusdem, oraverit ut supra, toties aquirat plenariam indulgentiam,

III Qui

III.

Qui celebrarit Missam, vel confessus & communiciatus eam audierit, ad Altare in quo sit imago, vel corpus aut Reliquiae alicujus ex iisdem Sanctis, atque oraverit ut supra, plenariam lucretur indulgentiam unā ejuslibet mensis die per ipsum eligenda.

IV.

Qui pœnitens de suis peccatis, proponens vitæ emendationem visitarit unica die septem Ecclesiæ suo arbitrio eligendas, aut ubi non fuerint 7. Ecclesiæ, visitavit quotquot illic sunt, vel si unica tantum ibidem fuerit, omnia illius Altaria visitarit, orando ut supra, semel in anno consequatur indulgentias septem Ecclesiæ Urbis Romæ.

V.

Qui devotè meditatus fuerit aliquod mysterium Passionis Domini nostri, & in ejusdem Passionis representatione humiliter terram osculatus fuerit septies, illa die acquirat indulgentiam Scalæ sanctæ, idque una duntaxat vice per annum.

VI.

Quisquis de suis peccatis actum veræ pœnitutinis elicuerit cum firmo emendationis proposito, aut ad exemplum prædictorum Sanctorum aliquod virtutis opus exercuerit, toties lucretur septem annos & totidem quadragenas Indulgentiarum.

VII.

Quicunque legerit aliquod Capitulæ ex vita eorumdem Sanctorum, aut ipsorum Altare visitaverit, vel eorum Imaginem veneratus fuerit, Oratione pro exaltatione S. Ecclesiæ, & peccatorum conversione qualibet vice lucretur centum dies indulgentiarum.

VIII.

Quisquis se exercuerit in devotione erga sanctissimum Altaris Sacramentum, aut erga B. V. meditando illud mysterium, & beneficia quæ inde in nos profluunt, aut

com-

compatiendo doloribus quos sensit B.V. in Passione, ac Morte Filii, aut sub alia forma venerando sanctissimum Sacramentum, & orando pro necessitatibus S. Ecclesiarum, toties consequatur centum dies indulgentiarum.

I X.

Qui pauperibus eleemosynam dederit, aut eos de rebus fidei, vel bonorum morum instruxerit, seu id per alios fieri procuraverit, toties lucretur centū dies indulgentiarum.

X.

Qui Romæ, aut intra 20. Milliaria in ejus districtu existens ob aliquod legitimum impedimentum adesse non potuerit solemni Benedictioni, quam Summus Pontifex dare solet in die Paschatis, & Ascensionis, si confessus, & communicatus oraverit pro extirpatione heresum &c. acquirat indulgentiam acsi adfuisset, quam pariter acquirat extra Romam, eundemque districtu quovis loco existens, etiam si impeditus non sit, dummodo supradicta præstiterit.

XI.

Quisquis in articulo mortis devotè animam suam Deo commendans simul ad intercessionem prædictorum Sanctorum, aut unius cuiuslibet ex ipsis recurrerit saltim corde, si ore nequeat, præmissa confessione, & communione, vel (si non potuerit) adminus contritione, plenariam suorum peccatorum acquirat Indulgentiam.

XII.

Unaquæque supradictarum Indulgentiarum per modum suffragii applicari possit animabus in purgatorio constitutis.

Denique pro nostris ubique Ecclesiis peculiariter concessa est in singulos annos plenaria indulgentia perpetua pro anniversariis festivitatibus Sanctorum nostrorum Ludovici Bertrandi, & Rose de S. Maria.

Gra.

Gratias itaque ut concludam ex Encyclica P. Rev. 9. Octob. 1670.) Gratias tibi, ô Sancta & individua Trinitas, quæ es mirabilis in teipsa, admirabilis in Sanctis tuis, verè Deus totius consolationis qui humilem Prædicatorum tuorum Ordinem tot tantisque luminibus affatim illustras. Gratias tibi Augustissima Cœlorum Imperatrix Virgo Deipara, quæ Dominicanum habitum à Te nobis maternè collatum hujusmodi gemmis identidem exornari procuras. Gratias tibi gloriose Pater, ac Patriarcha noster Dominice qui sic apud curiam Summi Regis derelicti vices gregis commendas per secula. Profectò impletæ Pater quod dixisti non tuis iuvans precibus prout olim promisisti mortis hora te flentibus. Eja Fratres & Sorores lætamini in Domino & exultate. Agnoscite quām felix vitis de cuius surculo tantum Sanctorum germen redundat seculo circumspicite quali ex ubertate palmitum Mundi tum cingat ambitum.

F I N I S.

Series Capitulorum.

CAP. 1. S. Ludovici patria, parentes, ortus.	fol. 1
CAP. 2. Indoles S. Ludovici ejusque in prima aetate mores ac studia.	4
CAP. 3. S. Ludovicus Ordini Prædicatorum adscribi- tur mirificèque gratia, & virtutibus proficit.	9
CAP. 4. Suscepto Sacerdotio S. Ludovicus ex obitu pa- tri eiusque post mortem diris pœnis graviter affli- gitur.	14
CAP. 5. S. Ludovicus sedulò miroque vitæ exemplo tirones Religionis instruit, & exercet.	18
CAP. 6. Caris & amicis S. Ludovicus destituitur præfi- citurque Vicariatui S. Annæ de Albeyda, &c.	24
CAP. 7. Indorum saluti cooperatus S. Ludovicus in Americam seu Occidentales Indias proficiscitur.	31
CAP. 8. Ingentes S. Ludovici apud Indos labores maique pericula.	36
CAP. 9. U verrimi S. Ludovici in Indiis animarum fru- ctus.	42
CAP. 10. S. Ludovicus variis apud Indos coruscat mi- raculis.	48
CAP. 11. S. Ludovicus ex Indiis ad Hispanias reverti- tur.	55
CAP. 12. S. Ludovicus præficitur Cenobiū S. Onu- phrii.	58
CAP. 13. S. Ludovicus denuò tironibus instituendis præficitur.	63
CAP. 14. Ludovicus præficitur almo Conventui Va- lentino.	65
CAP. 15. Salutaris S. Ludovici timor.	71
CAP. 16. Profundissima S. Ludovici humilitas.	74
CAP. 17. Angelica S. Ludovici puritas.	78
CAP. 18. Asperrimus S. Ludovici vitæ rigor, carnisque edemandæ studium.	81
CAP. 19. Gravissimas S. Ludovicus dæmonum & homi- num patienter sustinet persecutiones.	83

CAP.

CAP. 1a. Afsiduz ferventissimæque S. Ludovici pre- cess.	fol. 86
CAP. 21. Intensissimus S. Ludovici erga Deum Char- tatis fervor.	90
CAP. 22. Pronus S. Ludovici Charitatis affectus in proximos.	93
CAP. 23. Magno zelo animoque intrepido S. Ludo- vicus prædicandi munus exequitur.	96
CAP. 24. Mirè S. Ludovicus dono Prophetizæ excellit.	100
CAP. 25. Variis S. Ludovicus adhuc mortalis claret miraculis.	103
CAP. 26. Extrema Ludovici infirmitas.	106
CAP. 27. Felicissimus S. Ludovici ex hac vita transitus.	
CAP. 28. Quām plurimis mox ab obitu S. Ludovici cœlestis revelatur gloria.	113
CAP. 29. Ingens ad funus S. Ludovici hominum con- cursus, solemnesque ejus exequiaz.	117
CAP. 30. Innumeris S. Ludovicus ab obitu suo coru- scat miraculis.	120
CAP. 31. S. Ludovicus annumeratur Beatis.	125
CAP. 32. S. Ludovicus solemnij Canonizationis ritu Sanctorum Catalogo inscribitur.	129

*Errata typi Benevolus Leclor facile adver-
tet & corriget titulum capituli 27. omissum suo
loco inferendo.*

